LODOVICI BIGI PICTORII FERRARIENSIS IN COELESTES PROCERES HYMNO-RVM EPITAPHIORVMQVE LIBER.

EIVSDEM EPIGRAMMATON LIBELLI DVO.



AVCTORIS DISTICHON.

Si famulor quandoq; sacris auctoribus, haud me
Despice, Christicolæ sum labor artificis.

Lodouico Pictorio Gregorius Ziraldus Salutem.

Elegi libellum tuum Hymnorum, Epitaphiorū q;, Nec non in Christi uitam Epigrāmaton, ut per litteras petieras, et cēsoria uirga, si modo mihi est aliquā, uersus pupugi, Nihil est amplius q̄ nō ferendum sit, si modo lector non auris sit supinę. Scio tamen et te nosse, et me etiam longe melius, quo genere scribēdi sit cōpositus. Tantū abest ut reprehendā facilitatē et carminis tui (q̄d aiunt) humilitatē, ut si quo alio modo scriptū foret, nō religiose, nō christiane putarē, Verba.n.sententiis (ut cū Pħis nostri Theologi arbitrantur) seruire oportet, nō quod nunc passim fieri uideo, ut uerbis sententię deseruiant. A me procul absint, qui xp̄m θεάνθρωπον Aristarchi et Prisciani legibus imo impiis uocabulis cōstringunt. Meminerint isti conditorem et seruatorē rerū omniū supra horū leges existere. Ita me Deus amet mi Pictori, ut ingenue et candide loquor, q̄ idē de tuis uersibus sentio, ac olim Angelus Politianus, qui cum interrogatus de Opusculis tuis christianis, q̄d sentiret ita respondisse a probis et fide dignis uiris accepi. Nullū castius et seruatis numeris melius hactenus christiane et de Xp̄o scripsisse. Sedulius.n.labitur. In Iuuēco id reperias, q̄d de Cordubēsibus poetis Cicero dicit, Prudētius incuriosus latinitatis. Arator facilis quidē, sed plerūq; incōditus. Alcimus auitus interdū q̄dē bonus, sed sępissime Barbarus. In Paulino p̄ceptorē Ausoniū agnoscas. Mitto Alanos et reliquos, quorū nomina in obscuro sunt. Qui Christū amāt libellū hūc amabūt, q̄bus sordet, sordescet et libellus. Vale et me apud Deū p̄cibus tuis cōmēdatū sedulo habe. Ex Mutina Ad.xiii.Kl.Decēb.MDXII.

Errores quosdam sic emendauimus.

In.A.sparserit hic lacrymas.char.6. In.B.i sublime uolātis.f.ligna capit.a.legisse recordor.5.Terga hostibus.6.festa quot annis.5. Congrua plectro.8. In.C.nā cedere uotis.a.subitas accēsus.4. Erynnias angue.3. In.D.sub hoc sepulchro.7.

Reliquos i fine opusculi ānotauimus.

LODOVICI BIGI PICTORII FERRARIENSIS
in cœlestes Proceres Hymnorũ Epitaphiorũq;
Liber Herculi Sigismũdi Estẽsis filio dicatus
Fœliciter incipit.

OS ERAT ALCIDE, VATES CVM
m magna uolebant
PANDERE VENTVRIS PROCERVM
præconia sæclis,
Implorare deum cirræ, nysæ ue parentem
Aut musarũ aliquã,nam lõgus in æquore cursus
Subiacet inumeris pelagi cœliq; periclis,
Quæ nisi diuino soboles humana fauore
Non potis est saluis euadere mercibus,atqui
Ipse ego pauca licet sub corde poemata uoluam
Scilicet haud multos hymnos titulosq; sepulchris
Sculpẽdos sanctorũ hominum, quos nostra fideli
Relligio colit affectu, tamen et quia rerum
Materies grauis est,et nos confundimus omnem
Concentum,ut resonos uox anseris inter holores
Est opus auxilio,nec qui ferat, ille per altos
Armeniæ montes,non per stagnantia nili
Arua,nec hesperiæ tractus, libyæ ue recessus
Est mihi quærendus,(diuis ita candide princeps
Ac tibi, quas ualeo, grates ago)nãq; penates
Intra ipsos nobis iam tu intendisq;,fouesq;,
Prosequere,inq; dies propensior annue uotis
Oro meis,tu dulce decus,spes certa,canorq;
Pierii fautorq; chori, tibi seruit honorum

Tota cohors, famulatũr amor iuuenúq; senúq;,
Assistuntq; simul uirtus et gratia, siue
Corpore, siue animo uis te exercere, uideris
Omnibus in studiis ipsos æquare magistros,
Interdumq; etiam multos excellere, quodq;
Passa fuit nunq̃ fieri natura, nec artes
Nouerunt, tu sæpe facis, nisi fallimur, aut si
Seruato magni præstetur honore tonantis
Sic uatis lusisse tui liberbridas, in te
Maiestas uoluit uires æterna creando
Ostentare suas numenq; ostendere terris,
Ter (bene si memini) decies sol circuit orbem
Signiferum, totidemq; nouas humus arrida messes
Protulit, et pingui rubuit uindemia musto,
Ex quo pægaseas cœpisti nare per undas
Me uarias monstrante uias, nunc mincius alnõ
Nunc athesis nostra gaudebat, sæpeque sulmo
Cordubaque et biblis ualidis sua flumina remis
Nos sulcasse fidem faciunt, et achaia tellus,
Sed tu nescio quo uentorum turbine uatum ès
Consuetum transgressus iter, meritoq; uocari
Iam potes ad dandos in tersa uolumina neruos,
Adde, ꝙ in Christũ cũ tu Christique ministros
Ingenti flagres igni, et mea pieris horum
Ardeat eximias uersu percurrere laudes,
Iure tui supplex uenio ad suffragia fontis
Vnde mihi detur, qui tanto in pondere rerum
Sufficiant doctos pleno ore haurire liquores.
Nutu igitur læto et fausto, et rumore secundo

Auſpiciiſq; tuis opus aggrediemur,amicas
Præbe aures, et ubi exactos penſaueris hymnos,
Inq; ſepulchrales epigrāmata condita manes,
Si tu danda foras ea duxeris,edito, uel ſi
Occultanda domi aut uiuis rapienda fauillis
Eſſe uidebuntur,latitent,combure ue,q; ſi
Te minime impedient maiora negotia,quæſo
Emendare uelis errata,monereq;, quiſq;
Perleget, has facili ſcribi non poſſe thalia
Hiſtorias,ueniaq; ideo dignum eſſe poetam.

INCIPIVNT HYMNI.

B.IOANNIS BAPTISTAE.

C Eu ratis aduerſis hinc inde agitata duobus
Flatibus ignorat,cui cedere debeat,haud me
Mens aliter dubium retinet,ſolēnia nanq;
Ad decantandos noſtras libethridas hymnos
Baptiſtæ inuitant,ſed rerum opponitur ingens
Sarcina,et illa dei ſententia,nemo creatus
Maior Ioanne eſt muliebri e ſemine,claſſem
Neſcio quo uertam uariis influctibus anceps,
Eloquar an taceam?concertant ſpeſq; timorq;.
Non opus in medium tanti præconia patris
Ferre uelim, ſiquidem laus illa tonantis ab ore
Sic mare ſic terras impleuit, ut et ferus ipſi
Grex maumethous celebres impendat honores,
Audiat hoc terræ gens,audiat inſula ponti
Eulogium,et uatem fingat ſentire loquentem ,
Me deus omnipotens materno e uentre uocauit,
Et uixdum nati meminit, curāq; recepit,

Inq; utero mihi se diuina luce uidendum
Præbuit, atq; hilaris sensit mea gaudia mater,
Inq; imponendo mihi nomine uerba resumpsit
Voce prius genitor priuatus, et abdita multa
Magnaq; ꝑdixit, nec uox mea uallibus atq;
Montanis ignota locis fuit, audiit ipsam
Ortus et occasus, per me gens multa parauit
Rectū iter ad dominū, gladius graue qualis acutus
Flagiciis bellum indixi, et ceu electa sagitta
Quæ sursum ad superas fertur ui canabis oras,
Viribus ingenii docui cœlestia tempe
Contemplare homines, geminoq; meare uolatu
Infernæ terrore domus et amore supernæ,
Me superum in picta pater et pendente pharetra
Occuluit, propriæq; manus protexit in umbra,
Quippe animo inspexi depictum sanguine corpus
In cruce, et hinc raptis hominum feruentia flāmis
Corda sub umbrosi ramis requiescere ligni,
Da ꝑcor hos æstus nobis præcursor, et ure
Viscera cum fibris ac intima pectoris, atq;
Hoc cupidos auri affectus exure camino,
In cineres uenerem conuerte, et laudis amorem,
Scimus enim in superis quantum tua gratia possit.
Non solum uerbo per te dominator olympi
Verum etiam digito toti fuit agnitus orbi,
Atq; nouis nitida sacris imbutus in unda,
Totum hodie densæ mundum oppressere tenebræ,
Sordescunt iuuenes sexus utriusq; senesq;,
Nubila pelle procul, fœdas procul egere sordes,

Sedeq; rex iterum cœli patefiat ab alta
Humano generi, cur tòt ſine lumine gentes
Orcum adeunt fidei? cur Chriſti tanta propagò
Calcitrat in tabulas, quas nouit ab æthere miſſas?
Si, quæ uirgo tuæ genitrix compendia mater
Præſtitit in partu, tangunt te, uoce p̃camur
Supplice, ſis p̃ſens ſæclo ob numeroſa cadenti
Terraq; flagitia, et tantæ te oppone ruinæ.
Succurrat menti, ut ſummiſſo corde, quis eſſes,
Quæſitus de te ſenſiſti, noſq; tumentes
Et faſtu plenos contūde, et redde benignos,
Sis memor, inſanos q̃ forti mente furores
Sacrilegi fueris nixus frenare tyranni
Legitimiq; thori ius defenſare uerendum,
Et fac gaudentes celereſq; exempla ſequamur,
Et pulchrū gladio dare membra caputq; putemus,
Arſerat Herodes proprii in cōnubia fratris,
Præcurſor conſtanti animo ſcelus arguit, atq;
Corripit horrendis regem clamoribus, uxor
Incœpti cupida inceſti perquirere cauſam
Atq; modum in cædem monitoris cœpit, amicis
Regales epulas natali luce pararat
Herodes, natæq; ſuæ, qûodcunq; rogaſſet
Saltanti ſeſe iurauerat eſſe daturum,
Quid multis opus eſt narrare? qđ angit et implet
Triſti auſcultantes horrore ſimulq; loquentem,
Filia maternis precibus male ſuaſa petiuit
Baptiſtæ caput innocui, truncatur, et illud
Ipſa ſuis offert manibus ſtudioſa parenti,

O ſcelus infandum, quid non cythereius audet
Impetus? ignorat leges,nec ſancta ueretur
Fœdera,et ut torrens nullo rapit ordine cuncta.
Quas dabit inferias ? quæ digna piacula tanto
Funere calliope? quis honor? quæ pompa? ſtrueſq;
Lignorum ſat erit pro maieſtate iacentis?
Congreget huc omnes,quos fert pancheus odores
Campus et aſſyrius, cilicũq; arabũq; uirentes
Syluarum ramos,pæſtiq; roſaria,et omne
In ſua quod phariæ buſta extruxere uolucres,
Afferat et iudæa ſuas atq; india meſſes,
Quod uehit euphrates quod gignit cypria tellus,
Eſequiiſq; adſint reges, quicunq; fuerunt
Atq; omnes prima proceres ab origine mundi
Funus erit Baptiſta tuis uirtutibus impar,
Id reor angelicis ſeruatum et iure choreis,
Exitus inſignis fuit, at genitricis in aluum
Non minus introitus laudabilis extitit, idem
Quippe tuum proprio prædixerat angelus ore
Qui domini quoq; conceptũ,poſt lumina phœbes
Trina nouæ cecinit diuinitus eſſe futurum,
Nominaq; et uitæ ſeries utriuſq; fuerunt
Ore uno celebrata prius,q̃ uita daretur,
His eſtote pares,eademq; capeſſite dona,
Votaq; præcurſor domini lætatus honore
Et præcurſoris dominus gauiſus amore.

B. PETRI.

¶ I Deus,a cuius procedunt munera nutu,
Soluit in altiſonas mutorũ uincta loquellas

Guttura, et infantum linguas facit esse disertas,
Cur segnes mea musa times intendere chordas
Clauigeri maiora fide in præconia Petri?
Adde, q̄ huic oneri cum succubuisse thaliam
Cedat in eximium tanti pastoris honorem.
Non uideo, quid ibi possit contingere, cuius
Pœnituisse queat nos, quin et laude uoluntas
Digna erit, et mercede sua non ibit inanis
Præsentis quam sana bonis mens omnibus æui
Præferat, et fœlix sit tempus in omne futura,
Christus arenoso lentos in littore gressus
Dum ferret, Petrum uidit cum fratre carina
Sulcantem tremuli spumantes æquoris undas,
Ambobusq; fuit placido sic ore profatus.
Huc celeri piceam cursu conuertite puppim,
Nec graue sit uobis mea post uestigia promptos
Ferre pedes, faciam (nec erit mora grandis) utrũq;
Piscatorem hominum. uix dixerat ista, secuti
Sunt dominum uelo et remis nauiq; relictis,
Et rerum simul affectu, quas possidet ortus
Solis et occasus, siquid quoq; maius habetur
Quod modo nil teneat diuini, pectore totum
Excussere suo. pudeat, qui nocte dieq;
Diuitiis inhiant inopes magis usq; futuri,
Quo plures cumulantur opes, nolintq; uelintq;
Morte relicturi, quicquid congesserit auri
Auri sacra fames, stygioq; sub amne daturi
Pro partis male supplicium graue rebus, et æuo
Cessurum nulli, nulloq; fauore leuandum,

O fœlix,quem paupertes delectat, et illam
Sponte capit uitæ comitem, securus in hostes
Ibit auernales, et bella domestica carnis
Duraq; fallacis superabit prælia mundi,
Et dignos cœlo uictor feret inde triumphos,
Nec me falsa loqui stellantis ianitor aulæ
Sat docet,illecebras sæcli contempsit, et atros
Eumenidum colubros pessum dedit,atq; furentem.
In castros animi stimulos frenare dionem
Nouit,et exemplum dedit immortale pudici
Cordis,ob immensum,dum coniunx eius,amorem
In rerum artificem traheretur, ut hostia summi
Sancta foret regis, lætus de cæde iugalis
Fœlici sociæ tali ipsam est uoce secutus
A tergo,caue ne domini sis immemor uxor
Atq; uale,o mulier tam forti digna marito,
O tanto uir digne thoro, cōnubia grai
Et sua non ausint uestris conferre latini.
Deficient istic omnes heliconis honores,
Si thalamis dignum tentent celebrare talassum,
Forsitan hic naso me subsanabit adunco
Docta cohors,maiora humeris qui pōdera, sumpsi
Conscius immensæ molis dorsiq; pusilli,
Me decepit amor,ueniam date quæso fatenti
Errorem,rapida conabor lintre reuerti
In portum,sed ne superantibus undiq; uentis
Naufragium subeam, per uulnera Petre magistri
Te rogo quina tui faueas,parere procellæ
Consueuere tibi,uestigia quippe tulisti

Sicca per indomiti cāpos maris, utq; tributum
Solueret, undiuagi tua piscis ab ore staterem
Dextera suscepit rebus famulante profundi
Rege tuis, te cœlestem præsente figuram
Nescio quo candore niuis splendoreq; solis
Pagina sacra refert summum monstrasse parentem
Sidereæq; foris tibi iura dedisse, gregéq;.
Commendasse suum, tu functam morte tabitam
Officii superas reuocasti gratus ad auras,
Tu pius æneæ, non arte machaonis, artus
Firmasti tremulos sed supplice uoce, salutem
Sola tui īnumeris ægrotis corporis umbra
Præstitit, utq; alios taceam, tria millia luce
Vna hominum per te fidei sua colla dederunt
Seruitio, sacroq; animas in fonte lauarunt,
Fraudantesq; deum ṗtio uir et uxor agelli
Ante pedes cecidere tuos, diuinitus horum
Et subitam et tristem te prædicente ruinam.
Ad tua iussa Simon disiectis corruit alis,
Et turpi insontem maculauit sanguine terram,
Vinctus eras duplici tenebroso in carcere ferro,
Astitit, et densas procul expulit angelus umbras,
Illuxitque dies phœbeo clarior astro,
Eque tuo sese latere excussere catenæ
Deque loco uectes saliere, feræque uolentes,
Arctaque disiunctis patuerunt hostia ualuis,
Hinc colit augustas ecclesia læta Kalendas
Et statа cœlitibus persoluunt sacra quotannis
Christicolæ, pannis fuerit q̄ uilibus usus

Austeroq; cibo post Christi funera, quantas
Sparserit hinc lacrymas, quantis percusserit auras
Questibus aetherias, non si mihi guttura centum.
Et totidem dentur linguae et uox durior aere,
Sufficerem memorare, semel fuit obuius isti
Non procul excelsis Romanae a moenibus urbis
Christus, et ut dominum nouit Petrus esse, rogauit
Quorsum ferret iter? Romam respondit, ut illic
Sese iterum clauis figendum offerret acutis,
Protinus hinc animi uires suscepit ad omne
Exitium sancta pro relligione ferendum,
Inq; urbem rediit, captusq; iubente nerone
In cruce suspensus fuit in sublime leuatis
Cruribus, et capite in pronum pendente, putauit
Quippe nefas, recto si se permitteret ore
Affigi ligno, fuerat uelut ante magister,
Seruus enim domino minor est, atq; inde subire
Vilius interitus debet genus, hei mihi quonam
Sancte tuas praesul fletu? quali ue querela
Prosequar exequias? quo te uenerabor honore?
Quo cineres ego thure colam? quo fomite flāmae?
Quo dantur maiora tibi, maiora mereris,
Parce inopi rerum ac animi, et miserere carinae
Empyria desede tuae, quam funditus illi
Pene deo inuito submergere uelle uidentur,
Quorum esset studium potius se in mille secari
Frusta pati, duris q̄ concaua robora saxis
Illidi, conuerte hominum pater optime corda
In melius, cunctis succurre, meiq; memento.

Atque tuos in me flectendos obsecro uultus
Sufficiat bona mens et amoris plena uoluntas.

B. PAVLI.

IN mea nūc tonitrus reboarēt uerba sonori,
Esset opus, dum Paule tuos enitor honores
Pierio cantare sono, nisi fallimur, ora
Plurimus in nostros criticus rodentia uersus
Præparat, atque datum latos sibi cogitat iri
Mordendi campos, timeant quos pectore forti
Diuinus non armat amor, quod uiribus impar
Humanis fuerit, tenui facit iste feramus
Sudore, atque humeros oneri quātūlibet æquat
Ingenti, salue o præses celeberrime, salue
Salue iterū et totiēs, refluo quot in equore pisces,
Quotq; feræ in siluis et aues quot in aere uiuūt,
Ne rogo dedignare meæ testudinis hymnum,
Quæ licet assuerit triuiali ludere auena,
Sæpeque deficiat, mediis uelut alnus in undis
Quæ sit onusta nimis, tamen accedente fauore
Paule tuo, magnæ uenient in carmina uires,
Quodque mea nunq̄ possem uirtute, facultas
Inde erit, ut sacris aliquid dem muneris aris,
Mira dei excelsi manus est, maiorque profari
q̄ ualeant homines et mente capessere, quin et
Angelici numerosa chori scrutamina tantis
Ponderibus cedunt. rabidus spiransq; minarum
Ceu lupus in Christi miles tarsensis ouile
Ad subitam domini uocem mansuetior agno
Quid faciat, poscit, simul et mandata fideli

Exequitur studio, et primus crucis alma tuetur
Signa rubricatæ, et lucrum sibi grande fatetur
Affore, si medio gladium in certamine detur
Purpureo proprii capitis maculare cruore,
Quid moror historiam uersu perstringere totam?
Quippe sacris digna est annalibus, inq; tabellis
Marmoreis sculpenda, quibus de crimine uisis
Desperare suo nemo queat, ibat in urbem
Quæ caput assyriæ fuit, et dixere damascum
Saulus, ab immiti sacrorum antistite cæris
Acceptis, ut christicolæ quicũq; reperti
Essent, seu mulier, seu uir foret, ipse ligaret,
Ecce propinquantem iam mœnibus æthere ab alto
Circũfulsit eum lux magna, cadensq; repente
Nescio quo subitæ iaculo facis, audiit his se
Interpellari uerbis, mea nomina Saule
Saule quid insequeris? perterritus ille quis inquit
Es domine? et subito sum nazarenus Iesus
Responsum est, quem persequeris, res dura mouere
In stimulum calces tibi erit, cui uoce trementi
Saulus ait, quod uis fieri mihi præcipe, cui rex
Ingredere ornatam præcelsis turribus urbem,
Quantaq; sint abs te facienda, doceberis illic,
Ad uocem comites stupidi, nullũq; uidentes
Captũ oculis hominem manibus traxere damascũ,
Quippe acies nimio terrore (nisi erro) simulq;
Lampados immensæ, quæ circũ illuxerat, ictu
Contraxit tenebram et triduum sine luce remãsit
Infœlix iuuenis, nunq̃ comedensq; bibensq;,

Vir fuit insignis probitate deoq; dicatus
Quem Saulo in uisu dominus monstrauit,et huius
Tactu oculis reddi lumen,similiq; uerendum
Admonuit specie medicum,properaret ut ire
In uicum ueteri dictum de nomine rectum.
Atque ibi tarsensem Saulum perquireret,unde
Territus is cœpit sese excusare,q; ille
Per mare per terras Christi cultoribus esset
Infestus,plenasq; manus insontis haberet
Sanguinis,at contra cœlestis spiritus instat,
Pareat extemplo monitis,quia grande futurum
Is fidei tutamen erat,gentesq; daturæ
Hoc sanctæ monitore crucis sua colla catenis,
Iussa senex peragit,Saulūq; hac uoce salutat,
Macte animo frater sis fœlix,misit Iesus
Me tibi,qui modo se gradienti ostendit,ut umbræ
Luminibus fugiant,et plenus numine fias,
Dixerat,acturūq; oculis cecidere reclusis
Ceu squāmæ arentes,et semita p̄stita luci est,
Virq; sacro surgens lauit sua pectora fonte.
Susceptoq; cibo uires animūq; resumpsit,
O ingens summi clementia numinis,affert
In medio auxilium persæpe et sponte furore
Hostibus,hinc omnes discant sperare salutem,
Sarcina quos scelerum grauat execrabilis,atque
Spes gradus est hominis primus peccata luentis,
Sic desperanti suffragia cuncta negantur,
Proh dolor,unde meis uox pēdula faucibus hæsit?
Vt uideo,doctæ me destituere sorores,

Et mihi cirræum subtraxit apollo liquorem,
Nouit enim Pauli titulis hunc esse minorem,
Atq; ideo melius parnassi clausa teneri
Stagna, per exiguo q̃ tanti fonte rigare
Principis immensos campos, patere ergo libenter,
Daque pater ueniam de multis pauca loquenti,
Nãq; ego, quæ fueris pro Christi nomine passus,
Dicere si coner, tenuem millesima partem
Pagina non capiet, nec longum nestoris æuum
Sufficiet lacrymis. tu muro missus ab alto es
In sporta, ter naufragium, uirgasq; tulisti,
Atq; semel lapides, ergastula plura, latrones,
Insidias, uigiles noctes, conuitia, frigus,
Esuriem, rapidos æstus, ac deniq; mille
Diuersosq; maris, terræ, cœliq; labores,
Et tandem optatam scissa ceruice bipennem,
Haud equidem quisq̃ sub sole tot impia rerum
Tantaq; sustinuit discrimina, nemo sorores
Nescio quas pensis uelit incusare uacantes,
Q̃ sua continuos patiatur uita labores,
Omnia nos etenim placido monet esse ferenda
Pectore tarsensis iuuenis, duraq; rebus
Tristibus, et lætos nosmet seruare secundis,
Magne hominũ doctor, cuius gens plurima ductu
Siderei meruit subsellia scandere regni,
Ne gelidas radii subeant hyperionis undas,
Si piplea uelit per singula pieris ire,
Non ne tibi ingenio Dionysius ille capaci
Notus et hesperiis et eois cessit? et iuit

Sub iuga ſanguineo ſuſpenſi in ſtipite regis?
Eloquar?an taceam?mens optat,muſa ueretur
Aggredi opus, nedum confidat poſſe referre,
Raptus ut ad cultas ſtellis radiantibus arces
Spectaris, quæ nulli hominum conceſſa facultas
Sit fandi, nunquid totum tua ſparſa per orbem
Expectant modicos citharæ miracula neruos?
Non opus eſt claudum ex utero deſcribere matris,
Non opus obſeſſam memorem pythone puellam,
Non pueri ex alta delapſi fata feneſtra,
Vipereoſq; manu triſti ſine uulnere morſus
Quottidie peragis maiora, tuũq; iuuamen
Haud quiſq̃ uotis implorat inanibus; ergo
Auribus hæc etiam cõmitte rogata benignis,
Non ego corporeas tribui mihi poſtulo uires,
Non auri cumulos, non primos urbis honores,
Non populi applauſus,nõ blandula principis ora,
Non annos priami,non plectra ſonora Maronis,
Non accuratas magni Demoſthenis artes,
Da pater ut ſummi ſeruem præcepta tonantis,
Et curſu uitæ exacto ad ſublimia nobis
Atria detur iter, tecũq; fruamur olympo,

B. IOANNIS.

q Vis ꝑcor optatis noſtras aganippidas alis
Muniet?ut ualeãt aqlæ in ſublime uolantes
Pægaſeis diuina ſequi ueſtigia pennis?
O nouus alarum curſus,uaga ſidera tranſit,
Itur et ad ſummi ſolium cœleſte tonantis

Quodq; oculis cerni nequit, id se mente uidendum
Præbet, et ut speculum facit in se cuncta uideri,
Qualia Ioannes sit contēplatus in ista
Materie uitri, docuit satis insula patmos,
Exilium patmos mortalibus utile, et omni
Laude coli dignum, tamen impar uiribus oris
Humani, phœbiq; lyræ plectriq; sororum
O iuuenis dilecte deo, matrisq; sodalis
Virginis in nostros aperi tua lumina casus,
Iugiter in quantis uersetur nostra periclis
Cymba uides, non ulla graui uacat hora laborē,
Succeditq; dolor ueteri nouus usque dolori,
Ambitio occulto consumit corda ueneno
Luxuries mentem uitiat, torquetq; simultas,
Pœna sui liuor crassatur dente canino,
Quorsum uertat iter ueri ignorantia nescit,
Omnia disturbat necis ira ministra cruentæ,
Ardor opum nec ius nec fas calcare ueretur,
Ebrietas multos eneruat, crapula perdit,
Nulla domi est et nulla foris concordia, ciues
Agricolæ, proceres, plebes, quocunq; uoluptas
Prouocat, accurrunt illuc ratione relicta,
Et uitiis celeres sunt et uirtutibus ægri,
Relligio pene extincta est, is solus honores
Qui sceleri famulatur habet, regalia sceptra
Flagitiis dantur, præsentia tempora forsan
Non male crediderim te ꝓsignasse uidendo
Quod nullus poterat, nisi rex aperire uolumen,

Nostra etenim quis delicta pudore tegamus,
Diuino descripta tamen sunt cuncta libello,
Et nequeunt aliquo deleri pumice, nec ui
Vlla hominũ, quotquot toto inueniuntur in orbe,
Ast opus in rubra est agni crucis arbore fixi
Sanguine, cui præsens quoniam cum matre fuisti
Et datus huic nati uice, te fautore putamus
Codicis a domino nobis nil posse negari,
Sis igitur facilis, ueniãque precare malorum
Tantorum, quibus obruimur, cõmissaq; flere
Fac nos, quisq; sui pro pondere criminis, atque
Ad uomitum nunq̃ redeat, toleretq; labores,
Vt tandem meritis præsertim sanguinis agni
Non timeat uitæ librum post fata recludi,
Quod populos Asiæ certe fecisse putarim
Illic te magnum crucis extollente trophæum
Et uerbo et morum exemplo, rebusq; peractis
Naturæ supra uires. testatur alumna
Nos ephesi non falsa loqui reuocata sub auras
E tumulo, inque unũ pretiosæ fragmina gẽmæ
Coniuncta, et lapides in gẽmea saxa, et in aurum
Mutatæ uirgæ, templique ruina dianæ
Funditus euersi, et bibitum sine labe uenenum,
Et pueris illo uita impetrata peremptis.
Quantã tuæ fuerit uis et facundia linguæ
Sub tacito mecum uoluebam pectore, quippe
Id nostri modulis hymni inseruisse uolebam,
Sed qualis reboante salo cœloque furente

Et rapidis uentis ignorat nauita recti
Callis iter, seseque parem non esse fatetur
Ictibus, haud aliter cedo conatibus, ingens
Stultitiæ genus est præuisa strage reniti
Velle oneri, parce o præsul meliora tacenti
Parce pcor, sat enim de te tua scripta loquuntur,
Scripta triũphantis demissa penatibus aulæ
Eq; sinu deducta Dei et penetralibus alti
Concilii, et citreis non tantum digna tabellis
Sed quæ sidereo insculpi mereantur olympo
Luciferiq; instar quodcũq; nitescere uerbum,
Pone modum dictis mea musa, nigrantur honores
Quos decorare putas, uir summus sordet in ore
Exigui uatis, quare si multa reliqui
Præsertimq; diem, quæ maii proxima nonis
Consecrata tibi est olei feruentis ob ollam
Da ueniam obtuso ingenio, timidæq; thaliæ
Perq; tuo rogito manantem nectare fossam
Sũme meæ curam uitæ, mecũq; morare
Siue dies lustrat seu nox obnubilat orbem.

B. ANDREAE.

IGnis edax rutilis quo dantur plura fauillis
Ligna, rapit uires maiores, grataq; campis
Arbor idumeis hoc plus se tollit in altum
Quo grauiore premi se pondere sentit, et ipse
Nauita spumosis obnititur acrius undis,
Aeolus in fluctus cum sæuius excitat æquor,
Haud minus aduersus Christi se fortiter hostes

Gessit apostolicæ non ultima gēma coronæ
Andreas pelagi quondam piscator, et inde
Humanæ sobolis, si gloria maxima curis
Terreni admitti regis mensæq; putatur,
Quātus honor fuerit magni ad secreta tonantis
Cōmunesq; epulas et munia quæq; uocari?
Cum deus assumpto cœpisset corpore terris
Imperii monstrare sui uim, nocte dieq;
Ipsius Andreas interfuit omnibus actis,
Ac ueluti seruit palmes melioribus uuis
Proximior trunco, sic iugiter iste magistri
Affixus lateri plus morum et luminis hausit,
Vnde nihil mirum est, populos renuisse feroces
Istius hortatu deis sacrificare uetustis,
Et patriæ ac teneri neglectis ritibus æui
Admisisse nouam Christo sub principe legem,
Mutorūq; solo ditissima signa deorum
Strauisse, aut rutilis uastanda dedisse caminis,
Hic mea musa fides noli tentare canoras,
Ceruicem suppone iugo, uictosq; fateri
Sese non pudeat, quoscunq; heliconia fruges
Pascit, et epotis equus ales inebriat undis,
Flaminis excedunt nostri præconia robur
Pierium, et uatum pater obmutescit apollo.
Quod nequeo cantu comprendere, cogitet ipsa
Mens, uelut hic scythicis sese bene gessit in oris
Quot delubra deo per achaidas obtulit urbes,
Quot phlegethontæo uinctos serpente resoluit,

Quot dedit ægrotis uires, uitamq; ſepultis,
Vtque catenatis excuſſit uincula collis,
Abluit et multos uitia expurgante lauacro,
In primis, quanta tulerit uirtute ſeueræ
Supplicium mortis, crebro meminiſſe iuuabit,
Impius egeas Chriſti ſacrata uetabat
Orgia,quem contra ſic fatur apoſtolus, unde
Tanta tibi o iudex audatia? non ne deceret
Iudicis ut coleres tu primus magna ſupremi
Myſtica?cui contra proconſul legibus inquit
Cæſareis læſi prohibemur crimine regni,
Cui bonus Andreas, nondum Romana poteſtas
E didicit,quos ipſa deos colit, eſſe paludis
Infernæ colubros,ſeque inde ſub impia ferri
Tartara, uti docuit Chriſtus diuina propago,
Talibus egeas uerbis accenſus in iras
Piſcatorem hominum iubet in tenebroſa ligatum
Clauſtra trahi, atq; ſequens ubi lux exorta refulſit
Ante ſuum ſiſti populo præſente tribunal,
Et niſi deis faciat,grandi terrore minatur
Sanguineæ lætũ crucis,ut quos laudibus amplis
Extulerat,clauos in ſe experiatur acutos,
Sed tamen impauido perſiſtens corde locutus
Sic fuit, in noſtrum cruciatus perfide corpus
q̃ potes exquire imanes numeroque carentes,
Hoc erit æterno iucundior hoſtia regi,
Quo pœnis mactata magis crudelibus atque
Pluribus in cineres ibit, me ſcito uerendæ

Esse crucis seruum per tempora longa fidelem,
Proptereaque crucis minime tormenta pauere,
His dictis, totum cædunt ducuntque fluentem
Sãguinis ibre senē trabis ad loca mœsta bicornis,
Quam simulac uidit, blanda sic uoce salutat,
Salue crux leuior pluma, p̄tiosior auro,
Vnica spes hominum, uirtus inuicta, salusque,
Atque mei ut gēmis mēbris decorata magistri,
Salue iterū atque iterum rerū pulcherrima, salue,
Cum prius horrori pendentibus esse soleres
Dulcior effecta es, q̄ sit fauus, ergo age sacros
Pande sinus, gremioque p̄cor me suscipe læto,
Lætus ut accedo, tensis hinc inde lacertis
Arboris affixus trunco diuina docere
Astantes cœpit, Christique extollere legem,
Cœlesti referens pœnas mercede minores
Esse suas, omnesq; alias, quas mente ualeret
Fingere sæuicies nedum exercere tyranni,
Protinus eloquio plebs oblectata salubri
Currit ad egeam, detestans eius iniquum
Iudicium, atq; uirum insontem damnasse malignē,
Sol tartessiacis iam se bis merserat undis,
Proconsul populi uictus clamoribus iuit,
Poneret ut uiuentē hominem de stipite, quē mox
Pendulus intuitus turba impellente uenire
Si tibi mens inquit te pœnituisse malorum est,
Porta patet semper uenix noctuq; dieq;,
Q; si forte cupis me de trabe ponere dulci,

Niteris in cassum,nec enim descendere uiuus
Hinc patiar,specula meus ecce magister ab alta
Expectat,leuibus se tollat in æthera pennis
Spiritus, atq; suæ capiat iam præmia palmæ,
Mira quidem sed uera loquar,laxare uolebant
Vincula,continuo gelidus stupor occupat artus.
Immotæq; manus mansere et brachia, tunc his
Alloquitur summum constans athleta parentem,
Magne opifex rerum,sine numine cuius in axe
Inq; erebo terrisq; nihil fit, cuiq; superne
Omnia et inferius sunt cognita, qualia nosti
Quãtaq; pertulerim,et quibus huc ascẽdere curis
Quæsierim et uotis,ideo permittere noli
Hinc aliquo illæsus retrahi conanime possim,
Tempus adest,tibi si placeat,quo detur humandũ
Corpus,et ascendat pars nostri dignior astra,
Talia dicentem splendor circundedit ingens
Eripuitq; oculis populi patrumq;,subinde
Luce abeunte simul fugentia mẽbra relinquens
Spiritus empyrias pariter uolitauit ad arces,
Et fœlix cœpit precibus uotisq; uocari,
Quisquis ades nostro faueas, te depcor,hymno,
Atq; tibi,si non carmen,sit grata uoluntas.

B. IACOBI MINORIS.

f Austus adest Iacobe dies, quo spiritus auras
Aethereas penetrans iniit tuus atria cœli,
Sidereæq; fuit fœlicibus additus urbis
Ciuibus, atq; coli diuino incœpit honore,

Nos festiua uocant sanctis solemnia ludis,
Conscia mens scelerum trahit in contraria, quippe
Pollutam miscere sacris se cœtibus horret,
Afferat huc plenam thuris bene olentis acerram
Quisquis adest, studeatq; animo linguaq; fauere,
Vt mea suffitu lustrata camena sabœo
Corde aliquid puro fari queat, annue quæso
Care pater precibus desiderioq; mouendi
In tua uocalis citharæ præconia neruos,
Stemata scipiadum nullus nec cæsaris ausit
Natali conferre tuo, tu nempe fuisti
Artifici rerum ac pelagus terrãq; regenti
Et superũ domino consanguinitate propinquus,
Moribus et similis pulchroq; simillimus ore,
Non igitur mirum est, q; te genuisse feratur
Ex utero sanctum mater castissima, q;q;
Sortitus fueris iusti cognomen, ad annos
Nanq; licet multos perueneris, attamen omnes
Ornasti uariis uirtutibus integer æui
Integer et uitæ semper crescentibus illis,
Qualiter undiuagas elice aut cynosura gubernat
Luce rates, sic tu iuuenesq; senesq; regebas
Exemplo. fœlix genitor genitrixq; beata
Progenie tanta, uos in cœlestibus oris
Nunc illi lætos astare putamus ouanti
Ob lapides in se iactos confractaq; crurã
Et fluuios sparsi pro Christi laude cruoris
Discisso plures in partes fuste cerebro,

Pignora nil possunt matri ue patri de negare,
Efficite, ut nostro ueniam pro crimine poscat
Filius, et uentis charchesia lapsa secundis
Impleat, et nobis iucundo rideat ore,
Detq; pio cursum sic continuare fauore
Vt nunq̃ a recto reuocemur tramite, seu nos
Paupertas stimulet, seu lactet copia rerum,
Aut uigeāt artus, aut corpora peste laborent,
Siue probro a populis, siue afficiamur honore,
Nos quoq; suppliciter petimus ualdeq; precamur,
Exaudire uelis caros Iacobe parentes,
Nostra nec a precibus retrahant te crimina, uitæ
Pœnitet exactæ, cupimusq; reflectere gressum,
Sūma in te nobis fiducia, summa uoluntas,
Corde manuq; deo noctuq; dieq; placendi,
Mens bona spe semper comitāte meretur haberē
Pondus, et ad solium ferri sublime tonantis,
Sunt, qui te primum (bene si legisse recorder)
Consecrasse dei testentur corpus in ara,
Almaq; diuinæ celebrasse piacula missæ,
Quis rogo tantarum ualeat pro pondere rerum
Te laudare satis? quis dignas soluere grates?
Vos p̃cor angelicæ mea plectra iuuate cohortes,
Quoq; decet celebrate sacrā modulamine mēsam,
Qua deus in specie panis se cessit edendum,
Et sancto meritos ob munera reddite cultus,
Sitq; memor, multis instate p̃catibus, urbis
Cui datus antistes uiuens fuit, o mala fata,

Ecce ubi mactandum dominus se præstitit agnum
Crux ibi uilescit, sis dexter episcope genti,
Cōmissiq; gregis quondam tibi suscipe curam
Nunc quoq;.fac redeant pecudes ad ouile uagatæ
Per prærupta diu,semperq; ferentia mortem,
Artificemq; suum liceat præponere falsis
Numinibus,surdosq; solo prostrare colossos,
Quando erit illa dies et delectabile tempus,
Quo sanctam dabitur tuta rate uisere terram
Christicolis? sacrisq; locis ferre oscula pronis
Dulcia poplitibus?uideor mihi nunc dare nostri
Thura dei tumulo, nunc contemplare sedile
Triste crucis,celsum ue iugū,quo splenduit ut sol
Aetherei facies regis,candoreq; uestis
Inconsuta niues miro est imitata recentes,
Quid dicam quotiens nobis gens illa uidetur
Demonstrare domum? superæ qua nuncius aulæ
Cōceptum summi artificis prædixit et ortum?
Quo ue loco clausa superum rex prodiit aluo
In lucem? scissaq; tener cute uagiit? atque
In dulcem latices fontis mutauit iacchum?
Hic me,quam Salomon struxit,comitatur in ædem,
Inque lares alius, lacrymis ubi femina lauit
Abstersitq; pedes peccatrix crine magistri,
Ille uiam ostendit, uili qua uectus asello est
Rerum opifex,et iter ramis plebs strauit oliuæ,
O nimis infœlix gens illa,q; inscia ueros
Contemnat Christi cultus,et nostra,q; eius

Non ualeat natale solum,tantasq; uidere,
Relliquias. quare o præsul miserere tuorum
Et nostri,coniunge animos,ut ouile sit unum,
Vna fides, unum baptisma, simulq; sub uno
Rege deoq; omnes mereamus, et ante cruentam
Quisq; uelit spirare animam crudelibus armis,
q̃ dare in hac acie terga hostibus, ergo age mẽtes
Iam satis ardentes per se pater optime semper
Ignibus oro tuis accende tenacius, atq;
Continue crescat fac in certamina feruor,
Ac animi nunq̃ uirtus et corporis ulla
Lassetur cura et sudore, sed usque feratur
Auxilium maius,quanto magis ingruit orci,
Ad debellandas animas rabiosa caterua,
Quos laqueos habeat,quæ retia tendat, et astu
Quãto agat illa nigris homines ut mãcipet ũbris
Es liquido expertus, sic et tutantia nosti
Arma,quibus uoto donari poscimus omni'
Et tua pro merito recolemus festa quot annus.

B. THOMAE.

d Ebet apostolicis ecclesia sancta patronis
Multa qdẽ,sed plura tibi Didyme iclyte,cã ẽ,
q fidei maiora fide mysteria; per te
Sunt nobis palpata manu, fuimusq; capaces
Inuenti rerum, quibus est enixa potestas
Diuina atq; humana suas ostendere uires,
Rerum inq̃ æterni quæ sese in corpore regis
Mortali posuere simul, decet ergo colamus

Luciferi ſub honore tuo ſtata ſacra dicati,
Huc alacres igitur ueniant iuuenesq; ſenesq;,
Bracteolis pueri celſam radiantibus ædem
Atque interpoſitis pomis niueiſq; placentis
Exornent,herbiſq; ſacram bene olentibus aram
Largiter aſpergant, foliiſq; uirentibus undent
Terſa pauimenta, et linguis animoq; fauere
Incipiant omnes,qui profuit omnibus,ille
Omnibus eſt etiam celebrandus,adeſte ſorores
Non quas cirra colit,non quæ uerſantur in unda
Quam pede ſuffodit ſonipes alatus acuto,
Sed pietas,ueriq; tenax et amica uirago,
Temperet hæc chordas,linat altera glutine plectra,
Efficiantq; pio me uera annalibus ore
Inſerere, et dignos te Thoma ſcribere uerſus,
Verba ea ſint quātæ tibi laudis, eamus et omnes
Cum domino pariter moriamur, nulla profecto
Nec mea præſertim lingua explicuiſſe ualeret,
O calor,o ſummi conſtantia grandis amoris
Dignaq;,qua memori teneamus pectore fixam,
Intrepidos nos eſſe facit,uel ſaxa uel enſes
Siue faces in nos exerceat ira tyranni,
Quid prius aggrediar (uirtutū eſt tātus aceruus)
Neſcio,et ancipitem reddit me ſarcina rerum,
Impoſuit quiſquis tibi nomina, forſitan iſtud
Præuidiſſe poteſt,rebuſq; notaſſe futuris
Auſpicium,tu iuſtitiæ et pietatis abyſſus,
Regula tu morum, tu legis norma fuiſti

Austerus uitæ, uerborum rarus, et atrox
In uitia, et blandus uirtutibus, omnia summo
Deniq; digna uiro referat, quicũq; profundo
Præualet ingenio, cedent ea, seque minora
Laudibus esse tuis dicent, ægyptia tellus
Præcunctis experta fuit, q̃ gratus olympi
Rectori fueris, rex et regina reliquit
Aurea cum populis ueterum simulacra deorũm
Te noua sanguineæ crucis extollente trophœa,
Inde tuos auxit titulos pellagia uirgo
Quæ manibus baptisma tuis accepit, et una
Cum sponso cedens thalamis intacta remansit,
Martyriũq; tulit, quid dicam millia centum
Et plures hominum per te meruisse salutem
Corporis atq; animæ, et uitam obtinuisse sepultos?
Hyrcani, Persæ, et Medi, Parthiq; feroces
Sermonis nequiere tui se opponere telis,
Sub iuga certatim Christi uenere uolantes,
Atque alii multi, quos nunc angustia cogit
Temporis intactos nostram dimittere musam,
Hora propinquabat gelidæ suprema quietis
Mitteris in rigidi latebrosum carceris antrum,
Vtque animum regina tuum demulceat, ad te
Ingressa, extemplo est cultum aspernata deorum,
Incœpitq; loqui fidei miracula nostræ,
Rex iubet in rabiem subita cõmotus erinny,
Vt super ignito gradiatur apostolus ære
Nudatis pedibus, sed prodiit ecce repente

Fons ibi,quo candens extincta est lamina, tunc rex
Imperat ardentis mitti fornacis in ignem,
Qui tamen est adeo diuino rore remissus,
Vt Christi seruus sine uulnere luce sequenti
Exierit minimo non usto crine caminum,
Inde, sacrum soli faciat solēne iubetur,
Numinis ut proprii contra se suscitet iram
Thure dato,atq; uiro retrahatur præstita uirtus,
Qui coram effigie simulac stetit, inquit adoro
Non lapidem,sed dulcis onus crucis, at tibi saxū
Impero labaris pceps, iussisq; subinde
Paruit,atque sua grandem cum mole ruinam
Fecit,ac exerto flamen furialiter ense
Phœbeus, ceu qui uiolati marmoris ultor
Esse teneretur, Christi transfixit amicum
Vulnere lætali,superæ quo ciuibus urbis
Spiritus accessit fœlix, corpusq; sepultis,
Musa tace,quanto decorarit fumus honore
Fida cohors, nec enim festis funebria ludis
Conueniunt, tenuisq; foret tua fistula, quin huic
Totum heliconiadum cineri succūberet agmen,
Sancte uale martyr,siquid ualet hostia,si te
Vota mouent, nostros ad sidera dirige gressus,
Vt quas crediderit mortali in corpore uerbis
Turba tuis,fragilem membrorum exuta catēnam
Res oculis ualeat propriis spectare, fruiq;.

B. PHILIPPI.

f Lorentes Maii lampas phœbea Kalendas

Vexit ab eoi rutilantibus æquoris undis,
Thura focis impone puer, mystæq; uicissim
Dauiticos hinc inde modos ad sidera tollant,
Sũmus et aurata ꝓcellens ueste sacerdos
Offerat æterno Christi immortale parenti
Corpus,et assistant proceres cũ plebe rogantes,
Vt nostro faueant cœlestia numina sacro,
Sed tu ꝓcipue,cui lux hodierna dicata est
Huc ades, inque tuas mea dirige carmina laudes
Carmina non ipsis æquanda Philippe camenis,
Si de te potero pro maiestate ferire
Pectine fila lyræ, fueris ꝗ gratus olympi
Et terræ domino,si conseruisse recusat
Calliope numeris,ueniam dabis, istud omitto
Cantandum angelicis in cœli sede cateruis,
Quandoquidẽ humanæ superat testudinis artem,
At ne mole graui cogar succumbere, ne ue
Distrahar in longũ nimis,hymnorũq; relicta
Mensura impediam solemnia, si mea tentet
Pieris aoniæ rimari singula rupis,
Vnde datur de te scribendi lata facultas;
Mellıferas imitabor apes, quæ uere tepenti
Innumero de flore legunt, quod dulcibus aptum
Esse fauis norunt,hominis quæ congrua plectro
Duxero perstringã,scythicas dũ sancta per urbes
Sanguineæ uexilla crucis celebranda doceres,
Post multos, passus fueras quos inde labores
Gens ea te uoluit compellere thura gradiuo

Vrere,cum celsi subito de uentre colossi
Lætifer exiuit coluber,quo mascula proles
Pontificis graue flante obiit,geminosq; tribunos
Participes sceleris fœtens iugulauit hiatus,
Infecitq; alios,quotquot crudelibus aris
Astabant,tunc uno omnes concorditer ore
Se deiecturos belli simulacra uocatis
In lucem extinctis,et se bene habentibus ægris
Promisisse tibi, pariterq; soluta fuerunt
Pollicita a gelida reuocatis morte peremptis,
Aegrotisq; salute data diuinitus,atque
In loca confestim iussus draco fugit opaca,
Humanoq; ignota pedi,populusq; recepit
Signa tua ueneranda manu crucis, inde profectus
Ad terras Asiæ de Christi corpore. falsum
Dogma refellisti,tandem (quia debita merces
Reddenda est meritis) cœlestia regna petisti
Affixus duræ trunco crucis, accipe uotum
Macte senex animo nostrum,exaudiq; p̄cantes,
Læta serenato redeat lux ista quotannis
Curriculo, inque dies nos profecisse sub almæ
Seruitio inueniat fidei,semperq; ferantur
Nostra per hoc pelagus placidis charchesia uentis,
Donec ad optatum ueniat ratis integra portum.

B. SIMONIS.

a Nnua zelotis redierunt festa Simonis,
Exultent Christi zelo quicūq; tenentur,
Solēnique animis faueant linguisq; diei,

Et suaues flāmis imponant thūris aceruos,
In primisq; animæ studeant penetralia cunctis
Abluere a maculis, firmāq; capessere mentem
Mille neces potius patiendi,q̄ sua labe
Corda uel exigua inficiant, miserere malorum,
In qbus humanū est positū genus optime præsul,
Sanctaq; propenso mysteria respice uultu,
Optatāq; ferat nobis hodierna salutem
Victima, te nostros ad celsa ferente p̄catus
Sidera, et æthereo nos cōmendante parenti,
Nunq̄ etenim credam,quin sis hac luce futurus
Ipse precum compos,licet et maiora rogaris
q̄ meriti fuerint homines, quos sumpseris ulnis
Seruandos propriis,totus testatur id orbis
Præsertimq; uagi regno gens subdita nili,
Cui datus es fidei fœlici sorte magister,
Nemo quot in populis miracula feceris illis
Mente queat tenuiq; minus comprendere uersu,
Hic igitur deponat ebur mea musa, satisq;
Sit mihi prostrato te corpore cordeq; læto
Excolere, et de te mystas audire canentes,
Amplectiq; crucis lignum,quo pendulus astris
Altior effectus terrenos spernis honores,
Et mundi imperium, et quicquid sub sole uidetur,
Da pariter nostros ea per uestigia gressus
Te diuine sequi pater,intrepidoq; minantes
Pectore terrificæ stygis oppugnare tyrānos,
Proq; fide cunctos expendere fortiter annos,

Et quascunq; tepens sordes caro contrahit, illas
Sanguine deleri suspensi in stipitē regis
Obtine, et insontem, quæ restat ducere uitam,
Extremūq; diem fausto nos claudere cursu.

B. TADDAEI.

Q̄ Celebres Taddæe tuæ uirtutis honores
Sint, mea pieriis contexere musa tabellis
Optabat, dignūq; tuis altaribus hymnum
Edere, quem possent iuuenesq; senesq; quotānis
Natali cantare tuo, sed copia rerum
Tanta mihi in primis conatibus affuit, ut quid
Scribendum prius aggrederer, sinerēq; supræmum
Haud facili possem discrimine noscere, meq;
Tœdebat desiderii, nam credere uotis
Imbelles propter uires nimis anxia res est,
Ne tamen omnino tua me solēnia mutum
Arguerent, potius, q̄ conticuisse, teneri
Aridus elegi piplei gurgitis, atque
Noster in hæc rauca phœbus prorupit auenā,
Salue cœlicolum non ultima gloria, salue,
Salue iterum spes certa hominum Taddæe salusq;,
Grandeq; apostolici decus agminis, annue nobis,
Qui tua supplicibus ueneramur numina palmis,
Diuinosq; tibi læti impertimur honores,
q̄ fragiles ipso et tenues nos simus ab ortu,
Materies, ex qua primum formasse parentem
Dicitur immensi rex orbis, id edocet, unde
Est opus auxilio nobis, ne mille feramur

In mala pcipiti cursu, et graue olentis in antra
Plena erebi flãmis glacieq;, pcatibus ergo
Sis placidus nostris Taddæe, leuaq; cadentes,
Sis memor, obscœnos ut sensit Abagarus artus
Expulsa per te sanie candescere, qualis
Est caro lactantis pueri, nostrisq; medere
Plus animæ uitiis q̃ corporis, utque fugasti
Persarum populis colubros magica arte nocentes,
A nobis pariter stygios expelle dracones,
Diffugiant procul ardor opum, laudisq; cupido,
Turpeq; nequitiæ monstrum, nihil audeat in nos
Inuidiæ pestis, nihil insidiosa simultas,
Ingluuiesq; gulæ nil seruiat amplius aluo,
Ira nihil noceat, non sit locus ullus inerti
Pigritiæ, cesset discordia, bella recedant,
Nusq̃ iniustitiæ, nusq̃ impietatis amantes,
Nusq̃ sint regni cupidi, et pro nomine Christi
Exemplo fac tela tui spernamus et enses,
Et propriæ sit dulce crucem pexponere uitæ.

B. BARTHOLOMEI.

q Vas adeo magnas poterũt in carmina uires
Laurigeræ præstare deæ, quin mole tuarum
Succũbat laudum mea Bartholomæe thalia?
Cogit amor neruos tentare, sed ardua rerum
Materies suspendit ebur, prohibetq; uolentem
Natales celebrare tuos, quantosque labores
Pro domino tuleris, saltem nunc sternere fas sit
Exiguis tabulata tuæ mihi floribus ædis,

Magni magna canant uates,nos parua pusilli,
Quod potis est, quicũq; sacris altaribus offert,
Sit licet id minimum,pro summo munere semper
Cõputat omnipotens et quisquis in axe moratur,
India te nostræ fidei monitore ligamen
Suscepit,Christiq; iugo nihil esse putauit
Liberius,nec suaue magis leuiusq;,deosq;
Quos prius excoluit,duxit procul esse fugandos,
Perpetuũq; libens bellum iurauit in illos,
Rexq; sua sanctis cum gente Polemius undis
Obtulit a ueteri sese tibi sorde lauandum,
Ob natam ab stygio per te serpente solutam,
Venerat hora tuæ iampridem optata quietis,
In trabe suspensus,ceu bos,nudaris, et ipsa
Ab summo ad plantas trahitur tibi uertice pellis,
Astyagisq; caput iussu truncatus obisti,
O noua supplicii species,crudeleq; mortis
Inuentum,et largis plorandum fletibus, heu heu
Præmia pro meritis q̃ dantur dura receptis,
Dum studet hic regem æterna donare salute,
Comprendi et misera torqueri clade iubetur,
Quali ego crediderim scelus istud erimnyas ãgue
Plectere?quo grauium flãmarum turbine?quin sit
Multandum maiore etiam bis terq; flagello?
Quid(p̃cor) est peius?quod tã execrabile crimen?
q̃ bene de nobis meritos offendere uerbo
Atq; manu? potius cruciet me dura podagra
Deq; meo scateant turmatim gutture uermes,

q̃ fiam officii ingratus, nolimq; referre
Ingentes etiam minimo pro munere grates,
Fixa sit hæc facito mihi Bartholomæe uoluntas
Non minus, ac geminus regnis cœlestibus axis,
Præcipueq;, deus quæ dat mihi, redde bonorum
Et memorem et gratum me, quatenus ipsa facultas
Corporis ac animi patitur, me nulla fatiget
Sarcina in hoc opere, et semper uigilantia crescat
Et robur simul, et pariter mortalibus istud
Omnibus eueniat, cœliq; sedilibus una
Maiestas iubeat diuina quiescere cunctos.

B. IACOBI MAIORIS.

n Olo tuas multis Iacobe piissime laudes
Thespiades hodie studeant extollere, quippe
Ipsa dies angusta nimis tot honoribus esset,
Et plectrum chordasq; magis uilescere semper
Longior efficeret citharæ sonus, ardua non sunt
Exiguis tentanda humeris, formica relinquit
Robore grana suo maiora, perire uidemus
Qui supra uires capiunt onus, ergo putabis
Me uenia dignum tua grandia facta silentem,
Quanta per hebræas pro Christo gesseris urbes
Si certent omnes cirræ memorare coloni,
Haud minimæ (si me non fallit opinio) parti
Sufficient, maiora fide sunt pluraq; q̃ grex
Castalius numerare queat, quicunq; laborat
Antiquo splenis uitio, aut uertigine læsi
Lethea cerebri, seu cui plus usq; bibenti

Succrescit plus usq; sitis, uel quisquis acerbam
Vrinæ oppositi patitur uim mole lapilli,
Deniq; quisquis opem cupit ad diuersa malorum
Corporis aut animi genera, ad te currat, eritq;
Votorum compos, docet hoc, quæ plurima turba
Ad longinqua tui proficiscitur antra sepulchri,
Sancte pater nostros pronis admitte p̄catus
Auribus, haud eq̄dē humanos poscemus honores,
Non Crœsi gazas, non longos Nestoris annos,
Non pulchram sobolis seriem, non mentis acumen,
Non scapulas fortes, indefessosq; lacertos,
Nullius hæc uerus uitæ immortalis amator
Aestimat, et fuerint si tradita, sedulus illis
Vtitur ad regni sibi sceptra paranda superni,
Da nobis Iacobe animos in bella feroces
Tartareas contra turmas, carnēq; rebellem,
Et falsas mundi illecebras et amare tonantem
Præcūctis, et opem ferre omnibus, esseq; præsto
Ceu nobis etiam nos insectantibus, atque
Læta tui exemplo rigidæ dare colla securi,
Si sit opus Christi pro nomine, sic tua nūq̄
Floribus et largis careant altaria flām̄is.

B. MATTHAEI.

S I magnos unq̄ cupiit mea musa cothurnos
Et grandi resonare tuba, Matthæe profecto
In titulos nunc opto tuos heliconia tempe
Tota mihi pandi, nec enim aspernatus honore
q̄ celebri fueris gazas, et scripseris omnem

Aethcrei uitam domini,et defenderis almæ
Ius fidei,promptum est citreis mandare tabellis,
Hæc ego grandisonis linquam celebranda poetis,
De minimis sat erit,licet et sint ponderis ista
Haud modici,tenuē mihi texere laudibus hymnū,
Natalis quo læta tui solēnia possim
Exornare meis pro uiribus,omnia præstat
Qui,quod habet,totum concedit,et ipsa uoluntas
Diuitias pelagi et terræ præponderat omnes,
Tænarei magica uexabant arte dracones
Aethiopum gentem,quam tu Matthæe fugatis
His procul a tantæ saluasti uulnere cladis,
Et sobolem regis reuocasti a morte peremptam
Vnde omnes rex et populus deis sponte relictis
Sub Christi uenere iugum,multæq; puellæ
Suscepere sacri uelamina casta pudoris.
Sed subito insidias pubes erebea parauit,
Regia uerginеæ stirps Iphiginia cateruæ
Dux erat,hanc regni successor amare paterni
Hirtacus incœpit cupidus sibi fœdere lecti
Iungere (proh facinus) subitus accensus in iras
Matthæum (fieri quoniam tam turpe uetabat
Coniugium) geminas tendentem ad sidera palmas
Fecit apud tepidas mactari duriter aras,
At gelido proceres alacri cum plebe sepulchro
Mandarunt quanta potuerunt laude cadauer,
O nos fœlices si quo celebrandus honore es,
Diuino dabitur nobis Matthæe fauore

Te coluisse hodie atque tuum meruisse iuuamen,
Sic equidem facili pede conculcabimus hostes
Antiquos hominum, nec amor nos obruet auri,
Nec uenus in barathrũ trahet irremeabile lethes,
Sũme patrocinium pereuntis in æquore cymbæ,
Aequore non liquidis agitato fluctibus, at quod
Infestant duræ pestes, gula, liuor et ira,
Segnicies, odium, impietas, detractio, fastus,
Atque aliæ humani cupidæ sine fine cruoris
Mille feræ, defende p̃cor tua funera flentes,
Participesq; tui fac sanguinis, illeq; nostras
Expurgans animas faciat nos æthere dignos,
Iungat et angelicis æterno fœdere turmis.

B. MATTHIAE.

SI bene quid sentit capularis homuntio, certe
Iudice me non esset opus, tentaret in astra
Tollere te Matthia hominum facundia, nam sors
Qua ducis æterni es descriptus apostolus, istud
Sat facit officium, superatq; ea gloria reges
Quotquot roma potẽs atq; extera sceptra locarũt
Sublimi in solio, tamen ut solemnia donis
Non careant hodierna meis, conabor in ortis
Vt potero aonidum contextam offerre corollam,
O sors tam magno dignissima principe, qualis
Nulla nouis legitur priscisq; annalibus, o uir
Digne in quem caderet (liceat sic dicere) talis
Tantaq; propitio tibi sors fortuna tonante,
Haud igitur mirum est, si nos ueneramur et ossa

Et cineres,et ſaxa tui,terrāq; ſepulchri,
Auditoq; caput nudamus nomine,nec non
Vtraq; diuino genua incuruamus honore,
Cæſar an hæc recipit? Xerſes ue? ferantur odores
Huc cilicum ſegeteſq; arabum, ſiluæq; ſabææ,
Et longa niueæ pompa funalia ceræ,
Pægmataq;,et calices, Matthiæ hac luce litandū eſt,
Quiſquis adeſt mecum Matthiæ numen adoret,
Quodq; ego nō poſſum craſſa prohibēte minerua,
Matthiæ innumeras tollat ſuper æthera laudes,
Inclyta Matthiæ referat miracula, quanto
Theſpiadum maiore poteſt phœbiq; fauore,
Auxiliūq; omnes ſimul imploremus, et inter
Orgia non auſit quiſq̄ interrūpere rerum
Sacrarum ſeriem,teneantq; ſilentia,quorum
Officium non eſt pſalmos cantare nec hymnos,
Mente colat cœleſtē hominem,tacitoq; canentes
Corde iuuet, facileq; dei concentibus aurem
Exoptet,quicūq; ſacro uelamine tectus
Non fuerit, ſua cuiq; dari prouincia debet.
Parce p̄cor uir ſancte mihi tua geſta canenti
Voce parum reſona, ſi coram principe rhetor
Maximus interdum terreno contremit, ecquid
Parcere nolueris, dum territa faucibus hæret
Sidereo coram uox numine? plectra lyrāq;
Offero cimeriis uictus celanda cauernis,
Magnæ uale præſul,ſi qua tua corda mouentur
In miſeros pietate uiros, ſi reſpicis alta

E spécula populi lacrymas te uoce rogantis
Supplice in auxilium, si quam te scimus amore
Perpessum Christi, mors sanguinolenta meretur,
Vt nostri ualeas ueniam impetrare reatus,
Fac rogo sidereo sint grata piacula regi
Nostra, tuaq; manu, quæ nos dare possumus offer
Munera, et ut uacuus non sit labor, accipe carmen
Scribendum in pario fœlicis marmore busti,
Matthias iacet hac tumulatus apostolus urna,
Doctrina cuius meruit iudæa salutem,
Ipse tamen gladio periit, datur ista laborum
Sæpius hic merces, at semper in axe corona.

FINIS HYMNORVM.

EXCVSATIO IN EPITAPHIA SVBSEQVENTIA.

n E dederis uitio te quæso candide lector,
Si tumuli interdum longus erit titulus.
Nam studuit totam defuncti tangere uitam,
q̃ paucis potuit calliopea notis.
Si bene pendentur, forsan breuiora putabis
Quæ prolixa prius duxeris esse nimis.
Res uolo, non uersus numerentur, et inde feratur
Iudicium, scribi si poterant breuius.

INCIPIVNT EPITAPHIA.

BASILII.

Contegitur lapidum sub mole Basilius ista
Argolici torrens maximus eloquii.
Tangenti æthereos axes ex igne columnæ
Cœlica narratur uox similasse hominem

Pontificis siquidem officium sic gessit, ut ipsum
Quisq; fateretur cœlitus esse datum.
Hic rapuit stygio scriptum ferale tyranno
Vendere testantis sese erebo iuuenis,
Et moriens lachesim fecit subsistere, donec
Sanctificæ hebræum gurgite lauit aquæ.
Ad tepidūq; subinde thorum læto ore reuersus
Mox animam summo reddidit artifici.

PAVLI PRIMI EREMITAE.

Quam cernis foueam, gemini effodere leones,
Paulus eremitas primus in hac tegitur,
Pauit eum multos coruus diuinitus annos,
Si bonus est, timeat nemo perire fame.

IGINI.

Sum cinis Igini Romanæ præsulis urbis,
Quem genuit docto græcia scita patre.
Martyrii meruit donari laude, priusq;
Composuit clerum, distribuitq; gradus.

REMIGII.

Qui saluis uitæ præsentis turbida remis
Aequora præteriit Remigius iacet hic.
Venturum in lucem matri hunc prædixerat orbus
Iam uetulæ, utque acies tunc sibi danda foret.
Successitq; fides uerbis, nam lacte parentis
Fœtæ oculis unctis lumen adeptus is est.
Gallorum hic regem baptismatis abluit amne
Allato niueam chrismate per uolucrem.
Durat adhuc, et eo reges unguntur, oliuum,
Per sanctos miras res deus usque facit.

HILARII.

Hilarius cubat hac pictauus epiſcopus urna,
Defenſor noſtræ terrificus fidei.
Iſtius aſpectum ſerpentes ferre nequibant,
Neſcio quæ in uultu ſpicula ſanctus habet.

MACARII.

Macariūs dicor tam re q̃ nomine fœlix,
Et uiuens ſtygii terror eram populi.

FOELICIS IN PINCIS.

Hic ſitus eſt Fœlix in pincis, neſcio martyr
Si fuerit, tamen eſt dignus in æde coli.
Multa ſuo ueterum flatu ſimulacra deorum
Diruit, hos ictus machina nulla facit.

MARCELLI.

Qui fuit ob Chriſtum ſtabulo ſeruire coactus,
Inque adeo turpi ſeruitio periit
Romuleæ hic recubat Marcellus epiſcopus urbis,
Splendida pro caula ſpiritus aſtra colit.

ANTONII ABBATIS.

In ſtygios athleta ferox Antonius angues
Et nemorum cultor clauditur hoc tumulo.
Ad centum et ſupra uitam licet egerit annos,
Attamen in nullo crimine tota fuit.

FABIANI.

Quem fore pontificē uolucris cythereia ſummum
Præmonuit, cineres hic Fabianus habet.
Mortuus ob Chriſtum, cœloq; locatus honore
Diuino fabios nobilitauit auos.

SEBASTIANI.

Virtutum cumulus Sebaſtianus
Quem narbona tulit ſub hoc ſepulchro eſt,
Is crudeliter hinc et inde foſſus
Pennatis fuit ob fidem ſagittis.

AGNETIS.

Virginitas cuius ſub pectore polluit, Agnes
Mole ſub hac lapidum contumulata fuit.
In largos proiecta focos illæſa remanſit
Diuiſo in partes protinus igne duas.
Ne tamen optata decederet abſque corona
Martyrii, in guttur fixo obiit gladio.

VINCENTII.

Hic tegitur uiridi paſſus Vincentius æuo
Plurima pro fidei dogmate ſupplicia.
Quo ſe torqueri cernebat acerbius, hoc plus
Lætus erat, tandem ceſſit ei rabies.
Se uictam ſiquidem impietas confeſſa tyranni eſt,
Maxima pro Chriſti nomine palma mori eſt.

ANASTASII.

Iſtud Anaſtaſii ſaxum tegit oſſa perempti,
ꝙ renuit falſis ſacrificare deis.
Maluit æterno moriens parere tonanti,
q̃ uiuens uanis thus dare pingue focis.

IOANNIS ELEMOSYNARII.

Fautor Ioannes inopum et pietate per orbem
Cognitus, hac ſubter dum tegeretur humo,
Bina ibi ceſſerunt tumulata cadauera, et eius

In medio corpus constituere loco.
Discite ab exemplo donare libenter egenis,
Ob data præstatur munera primus honor.

PAVLAE.

Cuius in æternis mandanda laude tabellis
Illyricum legimus succubuisse senem,
Istic Paula iacet, lector componat honores
Quos potis est, digna est pluribus ista coli.

IVLIANI.

Hoc sub marmore membra Iuliani
Scito martyris o uiator esse,
Ambos tradidit impius parentes
Morti sanguineo truci dolone,
Hinc res cautius aggredi monemur.

IGNATII.

Hic sobolis flagrans Ignatius igne supernæ
Multaq; ob id passus uerbera contegitur.
Eius ad intactam descripta tabella parentem
Socratis est cunctis anteferenda libris,
Sæuorum occubuit sine uulnere dente leonum,
Ceu foret hoc tingi sanguine crimen humum.

BLASII.

Blasius hic recubat, uolucres cui ferre solebant
Pabula sidereis pabula digna choris.
Post laceros spissis ex ferro dentibus artus
Truncato gaudens oppetiit capite.

AGATHAE.

Sunt Agathæ hic cineres, cuius diuulsa mamilla

Diuinā Petri reddita uoce fuit.
Huius id eulogium toto celebratur in orbe,
Seruitium Christi est unica nobilitas.

VALENTINI.

Offa Valentini tenet hoc sanctissima saxum,
Qui sua pro Christo colla secanda dedit.
Quæ fuerit pietas hominis, spes quāta, fidesque,
Sarcina pieriis non foret apta notis.
Quin dubiū est, an mente capi tā grandia possint,
Contentus tacitis laudibus hospes abi.

IVLIANAE.

Hæc corpus capit urna Iulianæ,
Cuius laudibus uniuersus orbis
Angustus nimis est, caput securi
Pro Christo dedit æstimans minoris
Vitam, q̄ crucis integros honores.

GREGORII.

Ille sacri eloquii plena arca Gregorius, atque
Pontificum splendor maximus hic recubat.
Huius eo uirtus creuit, quo forsitan alter
Accessit nullo tempore, rarus ita est.

LONGINI.

O ingens Christi pietas, Longinus in urna
Qui latus illius diffidit, hac colitur.
Dentibus euulsis linguaq; loquella remansit
Integra, et insanos carpsit ut ante deos.
Ac tandem domini exemplo seruauit et ipse
Interfectorem supplice uoce suum.

BENEDICTI.

Nursia quē genuit, iacet hoc Benedictus in antro,
Fama hominis titulus sit uolo sarcophagi.

PATRICII.

Maximus hic cultor crucis, et lætale flagellum
Serpentum, præsul Patricius situs est.

SECVNDI.

Strenuus hoc miles, Christiq; athleta Secundus
Impiger in tumulo nobile corpus habet.
Sæpius angelicas huic seruiuisse cateruas.
Viuenti reddit pagina sacra fidem.
Dum resinam biberet ferbentem, protulit illud,
Dulce meis domini est faucibus eloquium.

MARIAE AEGYPTIAE.

Quod cernis Mariæ bustum est, ægyptia tellus
Hanc tulit, olim ingens opprobrium patriæ.
Sed mox impleuit mutatis moribus orbem
Laudibus, in nostra est uitaq; morsq; manu.

GEORGII.

Occubat armipotens sub mole Georgius ista,
Filia saluata est regia cuius ope.
Indomiti uinxit minitantia colla draconis,
Multaq; gens fidei se dedit inde iugo.
Mille prius nullo passus tormenta dolore
Finiit abscisso martyrium capite.

MARCELLINI.

Cui Romana fuit cōmissa ecclesia, martyr
Marcellinus in hoc corpus habet tumulo.

Sūma dei bonitas, quō plura ferebat amore
Ipsius, hoc maius sensit et auxilium.

VITALIS.

Viuus in hac fouea Christi uitalis amore
Suffossus saxis cespitibusq; fuit.
Quanta fuit probitas hominis uis noscere lector?
q̃ potes, hanc magnam concipe, maior erat.

VELLERIAE.

Vitalis iacet hic coniunx Velleria passa
Non leue pro Christi nomine martyrium.

PRISCAE.

Prisca uocor, fastus uixi atq; libidinis expers,
Proq; meo duxi dulce mori domino.

EMERENTIANAE.

Intactæ tumulo emerentianæ
Dic lector bona uerba, fœminæq;
Exemplo stygiis resiste monstris,
Et mundi illecebris, moriq; disce
Contra hostes crucis impios merendo.

MAVRI.

Maurus in hoc tegitur busto celeberrimus abbas,
Qui multis uitæ norma salusq; fuit.
Quippe potens sermonis erat, somniq; cibiq;
Parcus, et huic ætas non tulit illa parem.

MARII, MARTHAEQVE, ET FILIORVM.

Præsentis (scio) magnitudo busti
Te lector mouet, hic iacet duobus
Cum natis Marius thoriq; sacri

Cūm Martha socia, libenter omnes
Sunt pro dogmate mortui fideli.

DOROTHEAE.

Dorotheæ mihi nomen erat, thalamoq; cubile
Præposui intactum, martyriumq; tuli.

GVARINI.

Sub strue saxorum. quam conspicis, èsse Guarinūm
Testificor magnum pontificum specimen.

GILBERTI.

Gilbertus iacet hic, deum triformem
Confessus fuit esse ueritatem.

BRIGIDAE.

Brigida, cui domini caput inclinasse figūra
Dicitur, hic posita est uirginitatis honor.

SCHOLASTICAE.

Corpore sancta sub hoc et mente Scholastica saxo
Contegitur, procul hinc ite cito o ueneres.

FAVSTINI ET IOVITAE.

Faustini cineres hæc pyramis atq; Iouitæ
Continet, intrepidus martyr uterq; fuit.

CYRI ET IOANNIS.

Istud Ioannis Cyriq; cadauera marmor
Contegit ob Christi sanguinolenta fidem.

THOMAE AQVINATIS.

Summus cognitor ille rerum Aquinas,
Quas natura creat, parensq; mundi
Conseruat, tenui quidem hac sub urna est
Clausus, sed neqnit uniuersa laudum

Tellus esse capax, silentium ergo
In tam magno homine est honor sup̄mus.

PERPETVAE.

Martyrium æternam peperit mihi flebile uitam
Perpetuæ nomen quis neget inde datum.

FOELICITATIS.

Fœlicitatis corpus hic positum fuit,
Præsentis æquor sæculi quæ transiit
Fœliciore q̄ queat dici rate,
Tenella q̄quam uirgo p̄potens tamen
Animo, cruentum pertulit mortis genus
Ius christianum protegendi gratia.
Contra tyrannos uel puellam ferreos
Audaci et inuicta esse ui facit deus.

APOLLONIAE.

Quæ sim, quo uocitent me nomine, scire uiator
Quæris? Apolloniæ martyris ossa uides.
Sit lis magna licet cum uirginitate decori,
In me ipsa uictrix attamen illa fuit.
Nanq; trucem immota superaui mente tyrannū,
Seruatoq; fuit palma pudore mori.

QVADRAGINTA MARTYRVM.

Abstulit e uita quos fustibus impia pubes
Hæc quadraginta continet urna uiros.
Mira sacræ uirtus fidei, tot funera uidit
Auditis nullis questibus una dies.

BONAVENTVRAE.

Hic Bonauenturæ sunt ossa recondita, cuius

Fama sat est propriis nota uoluminibus.
Hæc iugi uersanda manu, figendaq; cordi,
Diuini siquidem nectar amoris habent.

ANSELMI.

Hoc iacet Anselmus tumulatus episcopus antro,
Aeterni præco maximus eloquii.
Sed maior probitate fuit, uotisq; p̄cantes
Damnat, et in superis grande sedile tenet.

IOSEPH.

Victricus æternæ prolis, matrisq; pudicus
Intactæ sponsus molliter hic recubat.

VINCENTII ORDINIS PRAEDICATORVM.

Sum tuba sermonis Vincentius aurea sacri,
Nota per ausonias barbaricasq; plagas.
In lucem multos reuocaui uiuus ab umbris,
Quanta sit in cœlo gratia, uita docet.

TIBVRTII VAL. ET MAX.

Hic Valeriani et Maximi et Tiburtii
Sunt ossa martyrum, sabœa manibus
Cremate thura, sic iubet fieri deus.

ISIDORI.

Nunquid uiator aureum bustum stupes?
Hic Isidorus munus ingens cœlitum
Quiescit amplum litterarum scrinium,
Et norma uitæ christianæ, et regula,
Et grata Christo uictima, atq; ecclesiæ,

ANICETI.

Romuleæ tegor hic Anicetus episcopus urbis

Ob crucis æternam uictima sancta fidem,
Non proprio ingenio,sed opem præstante tonātē
In portum est salua plebs mea uecta rate.

SOTERIS ET GAII.

Soteris Gaiiq; sumus ueneranda sepulchra,
Intus adhuc uiuo sanguine membra fluunt.

CLETI.

Gloria pontificum Cletus sua membra fideli
Tincta sub hac poni sanguine iussit humo.

PETRI MARTYRIS.

Petri sepulchrum martyris quanto coli
Honore debeat,nec in scripto exprimi
Nec uoce posset explicari,quos uales
Fer huic odores thuris,et lingua faue.
Si compos omnium cupis fieri precum.

MAXENTIAE VIDVAE.

Hic tegitur uiduale decus Maxentia, q̄uis
Nupta,tamen multis æmula uirginibus.

MONITAE.

Sum Monitæ tumulus lacrymosis cuius occellis
Filius est sanctæ factus honor fidei.

ALEXANDRI. EVAN. ET IV.

Corpora Alexandri, Euantii,et Iuuenalis,in isto
Sarcophago ob Christum dilacerata iacet.
Dum putat infidus sanctos disperdere lictor,
Inscius introeant regna beata facit.

GORDIANI.

Hoc sub cespite Gordianus olim

Oblatum canibus feris uorandum
Intactum tamen integer cadauer
Truncato capite ob fidem reseruat.
Cuius non uoluit molossus esu
Longam explere famem, tyrannus ore
Læto currere sanguinem uidebat.
O ingens rabies uiri nefandi.

NEREI ET ARCHILLEI.

Nereus hic recubat, paritercp Archilleus, ambo
Conserui, atcp simul martyr utercp fuit.
Nemo humili genitus cp sit de sanguine sese
Deserat, et seruis Cœlica regna patent.

BONIFATII.

Quiescit istic Bonifatii leuis cinis,
Sed ipse pondus extitit fidei graue
Ob cædis asprum, quod libens tulit genus,
In astra lenis haud datur nobis uia.

EPIMACHI.

Hac fidei testis celebratur Epimachus urna,
Qui legis, ob Christum tu quocp disce mori.
Pœna breui in uentos fugiet, morticp subibit
Vita modum longo non habitura die.

PANCRATII.

Martyrium passus tenero Pancratius æuo
Hic iacet, et pueri pro cruce bella gerunt.

VRBANI.

Hic situs Vrbanus Romani nauita ponti,
Non timuit lætum pro rate triste pati,

POTENTIANAE.

Potentiana ſtirpe nata nobili,
Sublime uirginitatis exemplum,ſub hoc
Silice quieſcit,ut potens animo fuit
Preſtansq; honeſtis moribus dum uiueret,
Sic nunc in alto ſiderum palatio
Non inter ultimos habetur in colas.
Quin ut tonantis optimam ſponſam decet
Quicquid peroptat in manu tenet ſua.

BERNARDINI.

Grande decus fratrũ ſtabiliſq; columna minorum
Bernardinus in hac contumulatus humo eſt.
Eſſet ut in pretio,quo debet,nomen Ieſu,
Effecit ſancti uiribus eloquii.

ELEVTERII.

Plenus Eleuterius pietatis, in ædeq; primus
Hic iacet,et crebras audit ab axe preces,
Quippe tholis ſuſpenſa monent donaria, quantus
Eius apud ſummum ſit fauor artificem.

IOANNIS.

Sũmmus Ioannes thuſca de gente ſacerdos
Hic recubat,tetricis mortuus in laqueis,
Supplicet huic, quicũq; cupit ſuá pondus habere
Vota,nihil duris auribus iſte capit.

FOELICIS.

Sanguine Romanus Fœlix,primæq; cathedræ
Seſſor,et.inſignis moribus hic tegitur,
Vt regeret ſacram Fœlici ſidere nauim,

Non timuit Sæuas in sua fata manus.

PETRONILLAE.

Progenies Petri sum Petronilla Simonis
Passa diu febres patre iubente graues.
Seruata tandem loca uerginitate superna
Scandere promeruit spiritus, ossa iacent.

MARCELLINI PE. ET ERAS.

Petrus in hac recubant et Erasmus amabilis urna,
Cum Marcellino martyrii socio,
Cõtra homines feritas iustos superata tyranni est,
Nam sanctum nequiit flectere peopositum.

PRIMI ET FOELICIANI.

Quod deis nefandis immolare noluit
Fœlicianus pertulit pœnas graues
Cum Primo, et una passi, et una hic sunt siti.

BARNABAE.

Cum christianæ lumen eloquentiæ
Se Barnabas uideret ut deum coli
Ingemuit, esse debilem se proferens
Homuntionem, et nullius pretii uirum,
Tandemq;, quod diu peroptarat, fuit
Combustus, atq; uictimæ datus loco,
Remansit istic corpus, astra umbra petiit.

BASILIDIS. CY. ET NAB.

Basilides altus fidei gradus, atq; Cyrinus,
Cum sancto hac lapidum claustra Nabore colũt.
Spirarunt sæuis animam cruciatibus, atqui
His datus est finis, præmia semper erunt.

NAZARII ET CELSI.

Nazarius ſenior, Celſusq; uirentibus annis
Raptus in hoc tumulo martyr uterq; cubat.
Aſtra patent ſenibus puerisq; ſatentibus unam
Eſſe fidem, ac uno numine cuncta regi.

ANTONII DE PADVA.

Natus in heſperiis iacet hic Antonius oris
Diuini tubicen ſtrenuus eloquii.
Fratribus inſignis uia mendicantibus, atq;
Totius celeber relligionis honor,
Huic uoueat quiſquis rem caram perdidit, atq;
Non longi ſpatio temporis inueniet.

VITI. MOD. ET CRES.

Nobilis hic cineres Florentia fœmina uiti
Et nutritorum corpora texit humo.
Ferbentem reſina, et plumbo, et pice, dulciter ollam
Vel minimo illæſis ſuſtinuere pilo,
Miſſus ad hos longa eſurie Leo ſæuus edendos
Ceu uenerans ſanctos corruit ante pedes.
Inq; graui ferrent dum uerbera plura cathaſta
Fudiſſetq; pias uitus in aſtra preces,
Diruta carnifices ædes iouis obruit, atq;
E fabrica inſontes angelus eripuit.
Mox dominum orantes, requies æterna daretur,
Difficilem uotis non habuere deum.

MARCI ET MARCELLIANI.

Marcellianus atq; Marcus hic ſiti
Fuere nobiliſſimæ proſapiæ

Sed clariores genere mortis impio.
Nam colligati ad stipitē et pedes stilis
Grauiter acutis perforati, gratias
Summas agebant ore ridenti deo,
Transuerberati lanceis tandem latus
In astra sublati fuere protinus.
O ter beatum quisquis hoc cadit modo.

QVIRITI ET IVLITAE.

Cum puero recubant istic Iulita Quirito
Fœmina famosi nobilis iconii.
Membratim cæsi simul interiere cruentis
Gaudentes alter fluctibus alterius.
Vera loquor, mediis puer in crutiatibus acer
Defensor sanctæ relligionis erat.

MARINAE.

Cōditur hoc monachū mentita Marina sepulchro.
Quæ graue constanter pertulit opprobrium.
Nam rea, q̄ de se prægnans foret hospita uirgo,
Purgamen sexum noluit esse notæ,
Criminis impositi patefacto errore per eius
Interitum meruit res noua thure coli.

GERVASII ET PROTASII.

Protasius partu geniti et Geruasius uno
Mole sub istius marmoris ossa tenent,
Plumbatis alter cæsus, capite alter, in astra
Truncato optata transiliere uia.

SILVERII.

Romanæ supremus apex Siluerius ædis

Ossa sub hac retinet mortuus exul humo.

PAVLINI.

Vt liberaret filium uiduæ unicum
Paulinus in seruum dedit se episcopus
Vir eruditione sanctitateq;
Contraq; rectores auerni præpotens.
In astra uitam terminans fausto exitu
Ferendus angelica manu iussit suum
Istic humari corpus, ut partes solo
Suæ darentur, et suæ polo quoq;.

IOANNIS ET PAVLI.

Corpus Ioannis Paulo cum fratre sub ista
Depositum est grauiũ congerie lapidum.
Cernua gaudentes ferienda dedere securi
Colla truci, socii funeris, ut generis.

LEONIS.

Clauigeri longo successor inordine Petri.
Claraq; progenies sum Leo trinacriæ
Multa manu descripta mea monumenta reliqui
Ausonio et Graio doctus in eloquio.

SEPTEM FRATRVM.

Fœlicitatis filii hic septem iacent.
Qui matre supplicante, uellent perpeti
Constanter atram pro fide Christi necem
Libenter audiere sanctis uocibus.
O digna liberis parens tam fortibus,
O matre digni filii tam strenua.

PII.

Summus marmore Pontifex sub isto
Et martyr cineres suos humari
Mandauit generis Pius latini.

PROCESI ET MARTINIANI.

Procesus et Martinianus occubant
Sub hoc sepulcho Martyres, olim impio
Iussu neronis in catena apostolos
Paulum et Simonem colligatos turpiter
Tenuere, sed demum cohortantibus eis
Christum secuti, et ora cæsi duriter
Saxis, canebant, gloria est altissimo.

NABORIS ET FOELICIS.

Fœlix et Nabor hic iacent adepti
Fuso sanguine cœlicos honores

ANICLETI.

Christicolæ custos iacet hic Anicletus ouilis,
Fata reseruando pro grege sæua tulit.

SYMPHOROSAE.

Symphorosa hic septem cũ natis cũq; marito
Pro Christo occisis flumine mersa cubat.

ALEXII.

Pectoris exemplum patientis Alexius hic est
Clausus, inops patrias mortuus inter opes.

MARGARITAE.

Margarita sub hoc facie pulcherrima saxo
Diuiteq; et claro nata parente iacet,
Sub pede tartareũ retinẽs in carcere mõstrum

Quid probitas ualeat uirginis edocuit.
Post ignes, et aquas gelidas, et ahenea rastra,
Abscisso gaudens occubuit capite.

THEODORAE.

Commissi ut melius delere Theodora culpam
Posset adulterii, sexus sese esse uirilis
Finxit, et in monachū suscepta doloribus annos
In magnis uixit multos, delataq; falso
ꝙ de compressa genuisset uirgine prolem
Turpe tulit crimen patienti corde, diuq;
Nutriit infantem proprii ceu pignora uentris,
At simul ob mortem res est detecta secutam
Tunc uirtus patuit rarissima, honoreq; summo
Corpus ī hoc tumulo positū est, et mūdus adorat,
Innumeras seruandi animam deus edocet artes.

PRAXEDIS.

Hæc est Praxedis o uiator urna,
Quæ res distribuens suas egenis
Pro gazis meruit breui caducis
Immortalis opes dei perennes,
Quas si quis cupit, eroget libenter.

MARIAE MAGDALENAE.

Quām cernis, Mariæ urna Magdalenæ est,
Nomen pro titulo sat est sepulchri.

APOLLINARIS.

Clari præsulis hic Apollinaris
Conduntur cineres, coactus iste
Per prunas pedibus meare nudis

Et cæsus ualidis ad ossa uirgis
Semper pectore fortiore tollens
Christum, numina gentium pmebat,
Tandem sanguineis lacer flagellis
Summo reddidit halitum parenti.

CHRISTINAE.

Aurea quæ proprius genitor simulacra colebat
Christina infregit pauperibusq; dedit.
Hinc alapis et uerberibus laniata cruentis.
A patre horrificis clauditur in tenebris.
Suppositoq; rotæ cui uincta erat igne, superq;
Fuso oleo, circum dum raperetur opus,
Protinus erupit globus igneus hinc simul inde,
Combussitq; uiros uindice mille face.
Dein saxo ad collum in fluctus deiecta ligato
Exiit, angelica ceu ratis acta manu.
Et dare cum uanæ thus nollet apollinis aræ,
Conuertit tenues in cineres statuam.
Et magicis contra se immissos cantibus angues
Vicit, et in mediis nil fuit usta focis.
Tandem post linguam abscissam, confossa sagittis
Ad promissa sibi præmia carpisit iter.

CHRISTOPHORI.

Christophorus iacet hoc magni uir corporis ātro.
Terribilis quondam lumine, fronte, manu,
Ipse diu cupiens regi seruire supmo
Difficile et longum sedulus egit iter.
Quo tandem ad tumidas inuento fluminis undas

Vitali est sacræ gurgite lotus aquæ,
Indeque suppliciis affectus pluribus ensi
Truncandum læte tradidit ore caput.

PANTALEONIS.

Qui didicit Christum, medicas dū disceret artes,
Ossa sub hac recubant Pantaleonis humo.
Lampados huic Christus flammis apparuit usto,
Vulneribusque dedit grande refrigerium,
Mox ictu gladii occumbens fœliciter, huius
Compleuit uitæ labile curiculum.

NAZARII ET CELSI.

Nazarius Celsusque simul crudelia passi
Fata, simul retinent ossa sub hoc lapide,
In mare deiectos excepit lucida nubes,
Et sicco per aquas ibat uterque pede,
Protinus ob facinus nautarum exorta procella est
Terribilis, nec spes ulla salutis erat.
Nazarium implorant, pelagoque repente quieto
Baptismum ipsius suscipiunt manibus.
O scelus, ambobus modico post tempore ceruix
Cæsa fuit summo uictima grata patri.

MARTHAE.

Quæ regem fuit hospitata regum
Cum toto grege sæpe apostolorum,
Istic sedula Martha collocata est.
Laudum cætera notiora sole
Extollenda tibi relinquo lector.

FOELICIS. SIMP. FAVST. ET BEAT.

Simplicius, Fœlix, Faustinusq́, atq́ Beatrix.
Pro Christo occisi mole sub hac recubant,
Quid pietas rabiesq́ pauet? sæuissima quæq́
Intrepide hæc peragit, non timet illa pati.

ABDONI ET SENNEN.

Hic Abdon, Sennenq́ iacent immanibus olim
Esca dati rabido dente uoranda feris,
Sed uelut hæ uellent custodes sanguinis esse
Protinus ad sanctos se posuere pedes.
Sed tulit hoc feritas humana molestius, atq́
Eminus iniectis perdidit hos gladiis.

SEPTEM DORMIENTIVM.

Nos ephesus genuit, multos dormiuimus annos,
Causa fuit nostri nominis ille sopor.

MACCHABEORVM.

Qui cum matre iacent hic cædes Macchabeorum,
Q̃ miranda fuit, nouit uterq́ polus.
Quot cædes pueri, tot passa est funera mater,
Cuncta tamen sicco fortiter ore tulit.

EVSEBII.

Dum fieret Christi sacris Eusebius undis
Miles, eum angelicæ sustinuere manus,
Proq́ fide certans constanti pectore, saxis
Obrutus, hac subter contumulatus humo est.

STEPHANI.

Romanæ Stephanus præses hic conditur urbis,
Supplice quo martis corruit effigies,

Vnde celebranti sacræ solēnia mensæ
Truncauit lictor uindice falce caput.

DOMINICI.

Dominicus istic prædicatorum pater
Fratrum quiescit, heresis fulmen graue,
Ecclesiæq; grande fulcimen sacræ,
Non absq; causa somnians mater sibi
Est uisa prægnans esse latrantis canis
Et ore lampadem ferentis igneam,
Aduersus impios latrauit acriter,
Hominūq; corda amore succēdit crucis.

IVSTINI.

Hostia pro Christo iacet hic Iustinus et ingens
Inter honoratos gloria præsbiteros,

GERMANI.

Doctrina insignis, clarisq; parentibus ortus,
Germanus tumulo præsul in hoc recubat,
Burgondos rexit, uitæ fuit asper, et egit
Dum uixit, citreis plurima digna libris,

SIXTI. FOEL. ET AGAB.

Sixtus et Agabitus cum Fœlicissimo humari
Hoc sua iusserunt corpora sarcophago,
Interitum passi pro relligione cruentum
Nos etiam intrepidi pectoris esse monent.

DONATI.

Hic sua conseruat Donatus Episcopus ossa
Sæuarum tortor maximus eumenidum,
Huius ad imperium mulier defuncta marito

Suffossas uiuá uocé retexit opes.
Confractūq; sacræ calicem impugnantibus áræ
Hostibus ad primam restituit faciem.
Deniq;,cum faceret miracula multa, tyranni
Confossus iussu, sanguine tinxit humum.

CIRIACI. LAR. ET SMA.

Ciriacus iacet hic, Largusq;,simulq; Smaragdus,
Abstulit una tribus pro cruce colla manus.

ROMANI.

Dum torqueretur Laurentius, angelus eius
Tergebat niueo uulnera linteolo,
Quod simul inspexit Romanus, credere cœpit,
Et fari ueram martyris esse fidem,
Ipsiusq; manu sumpto baptismate, iussu
Truncatus Decii syncipit, hic situs est.

LAVRENTII.

Hic iacet imberbi raptus Laurentius æuo
Magna salutiferi laurea martyrii,
Nam super ardenti latere uno crate perustus,
Se se alio uerti nil metuens petiit.
Atq; ait assasti me, mande tyranne, deoq;
Reddidit ut grates, æthere cassus obit.

TIBVRTII ET SVSANNAE.

Hic Susanna iacet simul et Tiburtius, atram
Pro Christo unanimes non timuere necem.

CLARAE.

Clara sub hoc tegitur fidei clarissima lampas
Marmore, nec tenuis uirginitatis honor.

Dum foret hanc genitrix paritura, deūq; rogāret
Pro partu, tales sensit ab axe sonos,
Ne timeas mulier, paries hyperione lumen
Clarius, et uocis res fuit ipsa fides.

HIPPOLYTI ET SOCIORVM.

Hippolytum et socios seruat lapis iste, putarunt
Esse mori melius q̄ coluisse deos.

VIRGINIS MATRIS.

Fui sepulchrum uirginis puerperæ,
Vix corpus intus fuerat occlusum, statim
In astra sustulere cœlitum chori.
O iubilorum iubilum ter maximum,
Quaterq;, centiesq;, sis fœlix dei
O mater, et piis ocellis aspice
Mundum cadentem, et sustine forti manu.

AGABITI.

Plus uno quintam trieterida uixerat anno
Martyrium passus cū fuit Agabitus.
Percussus neruis ardentes uertice prunas
Pertulit, ut uernis plena canistra rosis,
Deindeq; suspensum pedibus fœtente deorsum
Vexarunt fumi turbine carnifices,
Tunc ait o miseri fumo mens uestra laborat,
Moxq; ictu gladii membra reliquit humo.

LODOVICI EPISCOPI.

Regalis proles Lodouicus Episcopus istic
Corpus habet celeber relligionis bonor.

BERNARDI.

Burgunda de gente fui, sum nomine dictus
Bernardus, clara nobilitate satus.
Quos mores habui, colui quo prædia uitæ
Vomere mortalis, sat mea scripta docent.

TIMOTHEI.

Vulnere Timotheus dum torqueretur acerbo
Calce super fussa, uenit hic axe sonus.
Flecte oculos sursum, flexit, manibusq; coronam
Martyris est uisus Christus habere sui.
Sicq; loqui, actutū cingam hoc tua tempora serto,
Dixit, et effectum cœlica uox habuit.

HIPPOLYTI.

Hippolyti nomen mihi erat, pro nomine Christi
Mortuus in superis uiuo perenne plagis.

SIMPHORIANI.

Pergeret ad mortem dum Simphorianus iniquam
Sic genitrix hilari fronte locuta fuit.
Nate uale æternæ uitæ non immemor, atq;
Suspice regantis numen in axe ducis.
Vita tibi gladio minime tollétur, at illam
Conuerti in melius iugiter inuenies.
Atq; ita constantem per se solata tonantis
Tironem abscisso condidit hic capite.

AVGVSTINI.

Augustinus in hac pariterq; scientia rerum
Quas terra et cœlum gignit, humo tegitur.

ZEPHERINI.

Morum regula norma sanctitatis,
Splendor iusticiæ, decus pudoris,
Romæ gloria Pontifexq; summus,
Zepherinus in hoc iacet sepulchro.

LODOVICI REGIS.

Francorum rector tumulo Lodouicus in isto est,
Regales inter pro cruce pauper opes.

HERMETIS.

Hermes diues opum clarisq; parentibus ortus
Se se inopem ac humilem fecit amore crucis,
Martyrium constanti animo tulit, hicq; sepultus,
Gazaq; in exiguo maxima uase latet.

SABINAE.

Clara fui et Christi cultrix, et dicta Sabina
Nomine, quo pergit cœlicus agnus, eo.

FOELICIS ET ADAVCTI.

Multa suo afflatu ueterum simulacra deorum
Dum Fœlix tenues solueret in cineres.
Inq; ipsum uellet gladium perstringere lictor,
(O grandis nostræ miraq; uis fidei)
Protinus exclamans se eiusdem legis Adauctus
Esse, fuit pariter cæsus, et hic positus.

EGIDII.

Conditur hic doctus Egidius, ortus athenis,
Regia progenies, ingenioq; potens,
Cerua diu plenis hunc sustentauit in antro
Vberibus, tantum robur habet probitas.

ADRIANI.

Sub ſaxo iacet Adrianus iſto,
Quem natalia proſecuta coniunx
His uerbis fuit ad graues euntem
Pœnas martyrii, caue o marite
Ne tormenta tibi ferant timorem,
Quæ Chriſti mala perferes amore,
Tranſibunt propere, et perenne uitæ
Præſtabunt tibi gaudium ſupernæ.

GORGONII.

Hic inter primos numeratus cæſaris olim
Gorgonius Chriſti functus amore cubat.
Multa prius ferri paſſus tormenta, faceſq;,
Molliculas inter credidit eſſe roſas.
Poſtmodo nodoſo cōnexus colla capiſtro
Finiit ætheree munia militiæ.

PROTHI. ET HYACINTHI.

Eugeniæ ſerui Prothus ac Hiacynthus in iſto
Corpora liquerunt contumulanda loco.
Hos, quia nolebant deis ſacrificare, ſecuris
Multa prius paſſos uerbera ſtrauit humi.

EVGENIAE.

Hic cinis Eugeniæ eſt, quæ Chriſti accenſa calore
Gentilis fugit recta nefanda patris,
Et procul egreſſa, et ſeruis comitata duobus,
Veſte uiri aſſumpta facta fuit monachus.
Quæ rea tentaſſet quandam uiolare puellam,
Inceſtos cuius fugerat ipſa thoros,

Ne nota tam tristis Christi cultoribus esset,
Purgauit sexu crimina falsa suo.
Atq; ita prole sua genitor, materq; reperta
Et gemini fratres, destituere deos.
Sic uirgo, fuerat magni quæ causa doloris,
Effecta est propriæ spesq; salusq; domus.

IOANNIS CHRISOSTOMI.

Acer Ioannes scelerum Chrysostomus hostis
Diuiniq; parens hic iacet eloquii.
Cuius scripta sui quoniam restantur honorem
Auctoris, titulus sint uolo sarcophagi.

CORNELII.

Hoc marmor ossa contegit Cornelii,
Qui Petri ut alnũm posset euro prospero
Ad littus omni merce salua ducere,
Nullis pepercit corporis laboribus
Nec mentis, atq; sic adoptatos lares
Patriæ supernæ uenit. atq; iter fuit
Cruore stratum sicut optauit suo,
O dulce uotum, dulcior sed exitus.

CIPRIANI.

Hic Ciprianus est Episcopus situs,
Qui iussit aureos dari plures caput
Sibi amputanti, nos amor Christi facit
Pati libenter horridam necem, et dare
Etiam cruentis præmium tortoribus,

LVCIAE.

Dum me fustibus impius satelles

Nolentem iouis interesse sacro
Duris cederet, illius repente
Ingenti cecidit tremore terræ
Templum funditus, inq; uase pleno
Et plumbo, et pice bulliente uixi
Tres illæsa dies, deoq; psallens,
Tandem post alios graues dolores
Percussa æthereas plagas bipenni
Conscendi, cinis hic remansit, atq;
Totum Lucia nomen it per orbem.

GEMINIANI.

Hac Geminianus Luciæ uiduæ comes
Humatus urna est, quem colūba desuper
Ipsius astans capite candidior niue
Crucisq; signum ter figurans impulit,
Vt ante sacros fœminæ positus pedes
Se christianum posceret fieri, asserens
Vidisse cœli sibi patere ianuam,
Baptismatisq; fonte lotus illico
Quod uidit assecutus est, fores enim
Cœlestis aulæ martyr intrauit statim.

EVPHEMIAE.

Innumeras perpessa grauesq; Euphemia pœnas
Pro Christo, hac lapidum sub strue corpus habet,
Indoluit cernens multos a præside cædi
Martyrii q̧ erant ultima bella sui.

MAVRITII ET SOCIORVM.

Quós cernis tumulos, Mauritius incolit, atq;

Tota cohors sancta pro cruce passa necem,
Vnanimo periere hominum tot millia fato,
Relligio tantum credula robur habet.

LINI.

Thuscia me genuit. rapuit nero, templaq; rexi
In cruce confici sanguifluente dei.
Si quæris nomen, Linus fuit, ignea uirtus
Fecit ad empyrias me uolitare plagas.

CYPRIANI ET IVSTINAE.

Iustinæ hic cinis atq; Cypriani est.
Quam cum per stygis ipse uellet umbras
In turpes ueneris mouere flāmas
Circes carmine subdolæ nefando,
Nec posset, quia uirgo præpotenti
Signo se crucis usq; muniebat;
Christo tartareæ deos paludis
Nouit roboris esse stat minoris,
Errorūq; ita pœnitens suorum
Baptisma, et ueniam sui reatus
Instanter petiit, simulq; passi
Ambo martyrium, simul beata
Sparsi præmia sanguinis capessunt.

COSMAE ET DAMIANI.

Hoc Cosmas habet atq; Damianus
Sub saxo cineres, arabs propago
Germaniq;, satiq; stirpe clara,
Artes pœonias uterq; supra
Omnes calluit, his pedes manusq;

Vinctis,inq; freti profundioris
Deiectis rapidas aquas,supernus
Confestim affuit Angelus.forasq;
Traxit funiculis eos solutis,
His ardens nihil obfuit caminus,
Nil duri lapides, nihil sagittæ,
Quin in carnifices retro uolantes
Ditauere nigros stygis tyrannos
Multis manibus, ast in astra fratres
Percussi gladio simul uolarunt.

HIERONYMI.

Dulce decus sophiæ iacet hac Hieronymus urna.
Cætera sunt tanti cognita ubiq; uiri.

RHEMIGII.

Gallia deseruit per quem sacra uana deorum
Rhemorum hic præses Rhemigius situs est.

FRANCISCI.

Multa meo seruit sub nomine turba tonanti.
Stigmataq; ipsius sanguinolenta tuli.
Ossa quidem hic recubãt, sed spiritus incolit astra.
Et deus in toto me facit orbe coli.

SERGII. ET BACCHI. ET SOCIORVM.

Sergius,et Bacchus.sociiq; immania passi
Fata simul,simul hoc sunt quoq; sub tumulo.

MARCI SVMMI PONTIFICIS.

Romulex Marcus soboles et Episcopus urbis
Hic iacet æterno dignus honore coli.

DIONYSII ET SOCIORVM.

Cũm ſociis magnus cubat hac Dionyſius urna.
Hoſtia pro Chriſti trina cruenta fide.

CALIXTI.

Sanguine Romanus præſulq; Calixtus et alto
In puteo merſus pro fide, in hoc tumulo eſt.

VNDECIM MILLIVM VIRGINVM.

Hoc cum millibus undecim puellis
Pro Chriſto tenet Vrſulam peremptis
Buſtum, uirgineos humus benigno
Manes pondere contegat precamur.

LVCAE EVANGELISTAE.

Eloquii cultor graii et bonus arte medendi
Hic cineres Lucas anthiocenſis habet.
Virginis hic matris (ſi nos admittere fas eſt
Fama quod enarrat publica) ſcriba fuit.
Rettulit in celebres Chriſti præconia faſtos,
Suſtentans firmo ſe pede more bouis.
Forſitan expectas, quo ſit uenerandus honore,
Subſcribam, quanto req; animoq; potes.

HILARIONIS.

Suos eremi cultor artus Hilarion
Potus cibiq; parcus hic iuſſit tegi,
Moriens in hæc prorupit orſa, quid times
Anima? quid hæres egredi? quid? tam diu
Famulata Chriſto es, et paties ad huc mori?
Vix hæc locutus ultimum clauſit diem
Vitæ bis octo poſt olympiadas ſuæ.

CRISANTI ET DARIAE.

Illustri genitus Crisantus stirpe, potensq́
Ingenio, sancta cum Daria hic recubat.
A proprio trusus tenebrosa in claustra parente
Plagarum in medio turbine lætus erat.
Spreuit et immissas constanti mente puellas
Linquendi ut Christum causa libido foret.
Adq́ locum ueneris tractam custode leone
Pagina seruatam sacra refert Dariam.
Igneq́ succenso circũ fera territa fugit,
Ante habita in siluas a domina uenia.
Quisquis et hanc ausus uiolare fuisset, acerbas
Obsceni pœnas criminis ipse dabat.
Post uaria illæsis etiam tormenta capillis
Obrutus hac fouea uiuus ureiq́ fuit.

EVARISTI.

Iudæus genere, et Romanæ nauta carinæ
Hic Euaristus martyr habet cineres.
Virtutes eius si quis percenseat omnes,
Is stellas etiam dinumerare potest.

EVSTACHII.

Inter ramosi quem Christus cornua Cerui
Apparens, fidei dogma suæ docuit,
Eustachius iacet hic cum coniuge, cũq́ duobus
Pignoribus, passus non leue martyrium.
In boue conclusos fabricato ex ære peremit
Ipsis nil ustis plurima flamma comis.

VITALIS ET AGRICOLAE.

Cum famulo agricolam Vitali et utrūq; pemptum
Pro rerum domino contegit iste lapis.

LEONARDI.

Offa Leonardi sunt hic sita, carcere clausus
Hunc uocet, et uinctus cōpede, liber erit.

QVATVOR CORONATORVM.

Quatuor hic recubāt iuuenes, qbus una corona,
Vnus honos, eadem uitaq;, morsq; fuit.

THEODORI.

Membra sub hoc retinet defossa Theodorus antro,
Plurima qui sancta pro cruce flagra tulit,
Hunc opifex rerum tenebroso in carcere stantem
Afflatus tali dicitur eloquio.
Serue meus sis forti animo confideq;, non te
Desero, quin tecum nocte dieq; moror,
Vnde graui pendens in stipite et unguibus æris
Dum laceraretur sanguineq; efflueret,
Quæsitus nūquid cum Christo mallet habere
q̄ cū Romanis fœdera principibus,
Cum Christo simulac respondit, pulsus in ignem
Protinus, illæso corpore mortem obiit.

MARTINI.

Mole sub hac tegitur Martinus Episcopus, olim
Martia belligero castra secutus equo,
Diuina afflatus totum se tradidit aura
Gymnasio æterni seruitioq; dei.
Multa q̄ exiguo nequeunt epigrāmate scribi,

Pénula sat Christo tradita laudis habet.

MENNAE.

Quot pœnas tulerit pro Christi dogmate Mennas
Difficile et longum cōnumerare foret.
Percussus tandem gladio fuit additus astris,
Et cineres usti corporis hic colimus.

MARTINI MARTYRIS.

Martynus iacet hic martyr, compone uiator
Celsum hominem tacito pectore, tantus erat,
Damnauit multos contra diuina loquentes
Orgia, proq; Petri uictima classe fuit.

BRICCII.

Briccius hic tegitur, qui multa aduersa, trucesque
Casus, Martino uaticinante tulit,
Progeniti reus infantis sic dicitur illum
Adiurasse, refer, sum tuus an ne pater?
Non ait, at populus dic inquit nomen, et ille
Non licet, at populus perstat in opprobrio,
Pontificēq; suum insequitur, mortēq; minatur,
Tunc propriis prunas uestibus iste capit,
Atq; ait, ut sumpto non uritur endromys igne,
Sic omni munda est hæc caro nequitia,
Attamen expulsus fuit, et crudelia passus
Plurima, fœlicem post ea finem habuit.

PONTIANI.

Quid sim, quid fuerim petis uiator?
Sum puluis, fueram ratis magister,
Qua primus mare sæculi benignis

Sulcauit Petrus æoli ministris,
Palmam martyrii tuli,fuique
Romanus genere,atq; Pontianus
Dictus nomine,spe potens fideque.

CECILIAE.

Cecilia corpus hac sub urna contegi
Suum uirago iussit alti sanguinis
Sed altioris animi ad actus inclytos,
Romana quantos forsitam non attigit
Virtus nec isto nec priore sæculo,
Hæc familiares habuit incolas poli
Primos, et ipsum fabricatorem suis
Votis fauentem quicquid optasset,uale
Viator,atq; uirginis manes cole
Genusq; passæ pro fide durum necis.

CLEMENTIS.

Successor Petri quartus sub marmore Clemens
Hoc situs est,sacri lux noua gymnasii,
Multa etenim afflatus diuino numine scripsit,
Quæ celebri totus mundus honore colit.
Exul abit largasq; siti morientibus undas
Percussa exiguis ictibus hausit humo,
Deniq; spumosum uitam proiectus in æquor
Finiit optati limite martyrii.

GRISOGONI.

Ingenio præstans et stirpe Grisogonus alta
Editus hic humili contumulatus humo est,
Vmbra tamen cœlum colit exornata pyropis,

Longa qꝫ ob Christum uincla necemq; tulit,
Eius Anastasiæ scriptas quicũq; tabellas
Legerit, æthereas colliget inde rosas.
Imprimisq; animos ad quæq; miserrima fortes
Sumet, uis iusti maxima in ore uiri est.

FOELICITATIS.

Fœlicitatis hoc sepulchrum est uirginis.
Christiq; amore triste passæ spiculum,
Et sexus imbecillis audet fortia,
Et Lætiore fine semper expedit.

CATHARINAE.

Virtutes, Catharina quibus supereminet, istic
Scribantur, busti non patitur titulus;
Excedunt stellas numeroq;, graduq; nitentes,
Regia stirps, martyr, uirgo, diserta fuit.

SATVRNINI.

Fustibus et neruis cæsus, laceratus et uncis,
Duraq; flagranti passus ab igne senex.
Saturninus in hac cineres habet æde, sed umbra
Abscisso ad superos carpsit iter capite.

IACOBI INTERCISI.

Membratim cæsus, quo forte animosior alter
Non legitur, cineres hic Iacobus habet,
Singula nãq; fuit constanti membra secutus
Eloquio, atq; hilari reddidit ore animam.

BARBARAE.

Barbara, quæ a proprio fuit interfecta parente
Hoc sub sarcophago contumulata iacet.

Ossa prius neruis, tetroq; reclusa cubili
Effecta est subita sana tonantis ope.
Dũq; trahi iussu cœpisset nuda per urbem
Præsidis, angelica syndone tecta fuit,
Sæuiat impietas quantum uelit, omnia ferre
In Christum forti pectore nouit amor.

NICOLAI.

Nicoleos toti iacet hic notissimus orbi
Iacto intra clausas pauperis ære fores,
Venit ut in lucem, per se stetit, atq; diebus
Non nullis infans ubera non uoluit.
Cũq; annis semper creuit uirtute, senexq;
Mortem obiit grandis gloria pontificum.

AMBROSII.

Vir grauis et sapiens iacet hac Ambrosius urna,
Magnum hominem examen quem fore dixit apũ.
Is fuit infantis delectus episcopus ore,
Inq; crucem expansis occubuit manibus.

LVCIAE.

Grande syracosiæ decus et noua gloria gentis
Virgo sub hac tumulo Lucia corpus habet.
Dũ trahere hanc uellẽt ad turpe lupanar amãtes,
Tot iuuenum potuit nulla mouere manus.
Post picis, ac olei, resinæq; incendia, tandem
In guttur fixo reddidit ense animam.

STEPHANI.

Obrutus hic saxis Stephanus iacet, inq; superna
Quem moriens uidit, possidet arce deum.

INNOCENTVM.

His recubant pueri tumulis,quos abstulit heros
Impius,auferri dum sibi regna timet.

THOMAE ARCHIEPISCOPI.

Quem lucri interimi rex fecit amore britannus,
Hic cineres Thomas canturiensis habet.

SILVESTRI.

Pontificum supremus apex,et regula morum,
Hic sua Siluester membra sepulta tenet.

CHRISTI.

Conditor hoc rerum triduũ requieuit in antro,
Sospes adorato marmore lector abi.

EPITAPHIORVM FINIS.

EIVSDEM.L.PICTORII RHYTHMVS
AD ALBER. SAVONAROLAM.

Frustra mones Ierusalem,
Vt se uelit conuertere,
Quia cor induratum est,
Nã quicqd martyr innocẽs
Vatesq; missus cœlitus
In uerbo æterni numinis
Prophetauit Florentiæ
Ad unũ iota minimũ
Adimpleatur opus est.
Quapropter,cuius meminit
Alberte tua pagina,
Quãuis nũc multa trãseat
Interrito pericula

Temone humanis cymbula
Solum confisa uiribus,
In cæcos tandem scopulos
Nullus,qn rũpat,modus est.
In mari nunc nauigia
Duo uidemus turbido,
Vtrũq; uortex rapiet
In profundum caliginis
Sed utrum prius nesci
Neutrũ spem suam
In cœlesti ꝓsidi
Nõ secus q̃ si
In terr

Poteſtasq́ſit alia
Nulla, niſi quam cernere
Mortales queant oculi,
Datam ergo ſententiam
Omnes poſſũt agnoſcere,
Vocare uanum eſt igitur
Ieruſalem ad ueniam.
Clamori parcas moneo,
Nam pridem iacta eſt alea,
Nos autem, q credidimus
Clementis dei gratia
Iam prophetãti martyri,
In arca ſimus memores
Perſeuerare, fidei
Sanctæ muniti clypeo,
Et patientes omnium
Malorũ quotquot uenerit,
Deuotiſq́ et aſſiduis
Durantes ſine tœdio
In ſupplicationibus,

Vt, cum pſens diluuium
Poſt renouatam eccleſiam
Sedatũm prorſus fuerit,
Poſſimus in armeniæ
Excelſis tuti montibus
Habere tandem requiem
Deſideratam omnibus.
In fine tamen carminis
Experiendum cenſeo,
Siquid prodeſſe ualeam
Obduratis in crimine,
Ieruſalem Ieruſalem
Dum tempus datur, obſecro
Conuertere conuertere,
Ne cor gerens impœnitens
Aeterno perdas obitu
Corpus ſimul et animam,
Ieruſalem Ieruſalem
Conuertere ad dominum
Qui ſalus omniũ unica eſt.

FINIS.

Errata ſic Emendentur.

n.A.qſq; pleget, quiſqs, charta.3.Maumethous, Maumetheus.3.
mpendia mater, matri.4.heliconis honores, holores.5. Vere
tert.8. Sufficiet lacymis, lacrymis.8.
entia membra, frigentia.4.Q ua memori, quam memo
erto, at.8. fumus honore, funus.8.
egis, i ſtipite.peepõere, ppõere.2.ſtrips, ſtirps.4
iacet, iacent.3.ſoenas, ſçuas.5.peopoſitũ, ppoſi
,Minimo illçſis, illçſi.5.uirgiinitate.5.

LODOVICI BIGI PICTORII FERRARIENSIS LIBELLVS CAESARI ARAGONO REGIO PVERO DICATVS FOELICITER INCIPIT.

PAVCA VAGABANTVR NOSTRAE
præconia musæ
LIVIDA MORDACIS DENTIBVS
inuidiæ.
Indolui humanis haud quicq̃ in rebus haberi,
Quod sine continuis hostibus esse queat.
Mens'qꝫ erat in ueterem reuocare pœmata cellam,
Atqꝫ ibi ad extremum clausa tenere rogum.
Succurrit tutela tuæ puer alme thaliæ,
Et fore nos tutos credimus eius ope.
Quem lacerant igitur critici,defende libellum,
Maxime Aragonæ Cæsar alumne domus.
Regia supplicibus soboles præstare fauorem
Debet,ob hoc Princeps numinis instar habet.
Et mihi ne regni miseram prætende ruinam,
Prostrato uirtus non iacet imperio.

AD LIONORAM.

Quod nusq̃ genuit natura prioribus annis
Supra eius uires esse putare potes.
Ergo noua cum te probitate,nouoqꝫ decorē
Protulerit,qualem te Lionora canam?
Quod nequit ingenio cōphendi,parcere debes
Si fugio numeris id celebrare meis.

Quæ summum excedunt, maiore tacentur honore,
Est linquenda suis laus tua ponderibus.

AD RIZARDAM.

Hactenus angelicas nulli comprendere formas
Concessum est, quod nunc omnibus ecce datur.
Qualiter in speculo rerum simulachra uidentur,
Quas tamen haud ipsi conspiciunt oculi,
Non aliter Rizarda tuo se præstat in ore
Cernendum nobis Angelus, o noua res.
O noua res, supraq; modum mirabilis, et quæ
Digna sit haud solito semper honore coli.

IVDICIVM DEI INSCRVTABILE.

Annibal uxorem gazasq; uir optimus omnes
Perdidit, et duras semper habet chiragras.
Cinna tenet multas sub se rex pessimus urbes,
Fœlicesq; domi res habet atq; foris.
Vnde sit hoc illudq; petis, scrutabile non est
Vlli hominum summi iudicium artificis.

AD HERCVLEM STROZAM.

Musarum decus Hercules ligatos
Istic inuenies duos libellos,
Quid possis scio, quid uelim tacente
Me nouisse potes, memento uatis
Magni esse officium fauere paruo,
O mi Stroza uale, uale, ualeq;.

AD HERCVLEM ESTENSEM.

Si tuba, si citharæ, si cymbala, tympana, cantus
Quæ cito uanescunt, promeruere aliquid,

Quid debet nunq̃ periturum epigrãma mereri?
Præſertim ad ſuperas quod docet ire plagas.
Alcide uitrea mundo ambitione placere
Qui ſtudet, ad manes inſcius ire parat.
O graue flagitium, quo dantur plura ſuperne
Dona homini, plus hinc lædere cœlicolas.
Cum dat opes, pariter legem dat conditor orbis,
Qua poſſeſſorem mandat ali atq; inopes.
Quod tibi præceptũ eſt, ſerua, nec differ in horas,
Nil ſæpe in ſenio pœnituiſſe ualet.

AD LVCRETIAM BORGIAM.

Quos ego ſum ueritus tibi conſacrare libellos,
En tibi docta mei muſa dicauit heri.
Sume libens, cultu q̃uis ſint paupere, nunq̃
Laudari ſtudui pumice nec minio.
Adde, ꝙ haud fuco doctiſſima fœmina quærit
Sed quæ ſint ſenſu carmina plena graui.
Sume libens, ſortẽq; humilis metire poetæ,
Quando tuæ nullum eſt Borgia par pretium.

AD AMICVM.

Quos mea muſa libros ſenioribus edidit annis
Mitto tibi antiquæ munus amicitiæ.
Siquid eis inerit, doctas quod læſerit aures,
Parce memor ſenſu ſæpe carere ſenes.

AD OCTAVIANVM SFORCIAM.

Magna fides, bene ſi memini legiſſe, meretur
Magna, nefas fuerit, ſi mihi parua neges.

Fac possim quodcũq; cupis,cœlestia regna
Testor,erunt iuris res dominusq; tui.
Tantã igitur ne sperne fidem,cui Sforcia summus
Rex faues astrorum,tu quoq; quæso faue.

AD GERMANICVM.

Dedecet,in paruis tibi qui famulatus apollo est,
In magnis solito cesset ab officio.
Grãde onus hoc nimis est,fateor Germãice, portat
Sæpe tamen,ceruix quod nequit,illud amor.
Pende quod hic sequitur carmen,quantiq; sit ede
Ponderis,in te uno nouimus esse fidem.

AD LVCAM.

Cõmendo tibi Luca hominẽ sine nomine,causa est,
ꝙ miseris nomen sæpe nocere solet.

AD SERTORIVM.

Nostra diu tacuit Sertori fistula postq̃
Extulit ad meritos te bona sors apices.
Nunq̃ illuc ausa est conscendere,quippe timebat,
Turpiter in mediis ne rueret gradibus.
Si pateris,capiemus iter,cecidisseq; miri
Corde feram,is quoniam laus tua casus erit.

AD MATTHAEVM.

Scrutati Matthæe sumus terrãq; fretũq;
Quærentes hominem,qui sine labe foret.
Proh dolor,inuentus tantum fuit unus,et ille
Qui sit,adulari ne uidear,taceo.
Hunc tamen admoneo,caueat contagia,uirtus
Summa habet innumeras se prope pernicies.

AD MARSVM.

Gloria si uera est proprios extollere uersus,
  Non habet ora tibi thespia Marse parem.

EPITAPHIVM.

Quid sim, si rogitas, cinis pusillus,
  Si quæris quid eram, uir et propago
  Scortorum, Annibaleq; me uocabant,
  Qui q̃uis animo simulq; membris
  Ferme essem indomitus, tamen diebus
  Paucis febris iners tulit triumphum
  De me ipso. O hominum uigor potes ne
  Tuto dicere? præpotens ero cras.

AD HIPPOLYTVM
ESTENSEM.

Multa animo uersans errabam, nescio quali
  Auspicio ductus martis in antra fui.
Flebat, et infaustis pariter Bellona querelis
  Detestabatur sidera, fata, deos.
Tanta ego in aduersis miratus numina uinci,
  Quæ foret, optabam quærere, causa mali.
Ille mei scrutans animi penetralia dixit.
  In planctu Estensis nos tenet Hippolytus.
Erubui, timuiq; simul, causamq; poposci,
  (Nomen enim proprii principis omnis amat.)
Sic ait, immensos subiiq; tuliq; labores,
  Posset ut in castris hic meus esse comes.
En quo se uertit, sed non sibi ob ocia plaudat,
  Si meus haud fuerit sponte, coactus erit.

AD ANTONIVM.

Antoni tibi Cæsar est daturus
Signandam tibi supplicem tabellam
In damnum comitis mei, ut relatum
Clam nobis fuit, obsecro, ut repellas,
Ne litem (ueluti cupit) perennem
Nugis efficiat suis, quod æquum est
Et iustum, fieri repente debet.

AD FLACCVM.

Fama canit sanctis te Flacce uacare libellis,
Cædere te neruis, esuriemq; pati.
Vendere laude breui est uæcordia summa labores,
Res quibus æternas promeruisse queas.

EPITAPHIVM.

Hoc Santes Hieronymus sepulchro
Mandauit cineres suos humari,
Qui, si longa hominum breuis ue uita
Pro uirtute foret dies perennes
Victurus fuerat, sacræ supremum
Vt qui iam sophiæ gradum tenebat,
Quod natum est semel, aut rude aut peritum,
Aut faustũ, aut miserũ, aut nouũ aut uetustum
Nulli mitior aut seuerior mors
Sed cunctis eadem rapit uoratq;,
Hæc quisquis legis, alligato cordi.

AD SAXVM.

Cantet io circũ me turba heliconia, cantet,
Cantet io, est ortus fons nouus, unde bibat.

Quod canit,en nostræ Saxus de gurgite uenæ
Testatur liquidis uersibus elicere.
Si magnum faciat pictoria fistula Saxum,
Non ne suam hinc tollet extera turba sitim?

EPITAPHIVM.

Dic lector rogo,Borsii ne famam
Audisti ducis unq̃?et ut solebat
Virtutem colere? et uiros tenere
Summos? qui iacet hac graui sub urna
Ex illis fuit unus,ergo honores
Debemus cineri,uocemus umbram
Ad laudes,arabũq; ab orbe uectam
Arsuram segetem,huc ades sacratæ
Gentis Petre decus,libensq; sacrum
Præsens accipe,pluribus morari
Te nolo ob merita ad polos iturum.
I fœlix,locus est,gradusq; dandus
Summus summæ homini spei reperto
Et summæ fidei atq; caritatis.

DISTICHON.

Sacratus iacet hic Petrus,quia lege negatũm est
Diuina,æternum uiuere posse aliquem.

AD CAESAREM RAG.

Quem dono tibi mittimus libellum
Siquando datur otium,precamur,
Pro solaciolo legas laborum,
Qui si forte nimis graues et esse
Nostris uersibus impares putantur,

Sis saltem memor hinc erit necesse
(Quod pluris facio) optimi clientis.

AD EVNDEM.

Heu heu q̃ grauis est sacris iactura camenis,
Te premat assiduis sors uiolenta malis.
Si potes antiquos æquare et uincere uates,
Dum tua scylleis cymba laborat aquis,
Quis capere ingenio ualeat? si prospera dentur
Ocia musarum gloria quanta fores,
Auguror hinc aduersa breui cessura secundis,
Ne lateat longo tempore tantus honor.
Dura ergo, et temet serua melioribus astris,
Fœlici uirtus fine carere nequit.

AD GVIDONEM.

Obtuleram phœbo cytharas, et plectra camenis,
Atq; suam senio Guido dabam requiem.
Ecce (quod haud nequeo tamen incusare) coegit
Ocia me donum rumpere longa tuum.
Cum siquidem possem nullas persoluere grates,
Et cuperem ingrati non subiisse notam,
Confugi ad solitas, quondam mea numina, mūsas,
A quibus hos paucos elicui numeros.
Guido uale, et noli (te dulciter oro) quietem
Amplius exhausti sollicitare senis.
Credeq; iuranti, non munificentia nodis
Vincit inabruptis me tibi, sed probitas.
Fundati in solida durant uirtute sodales,
Sed ruit ex facili, qui fuit emptus, amor.

AD SAXVM.

Bis denos super edidi libellos,
Qui possunt mihi uindicasse nomen,
Quod nunq̃ (nisi fallimur) uetustas
In mortem trahet omnium uoratrix,
Vno Saxe tamen magis magisq;
Musarum endecasyllabo tuarum
Aeternis mea laudibus thalia
Passim per geminos feretur axes,
O fœlix nimis et nimis poema,
Sed fœlicior auctor, o deorum
Vis ingens hominem creasse talem.

EPITAPHIVM.

Quos tristi et læto mors abstulit omine, manes
Iulius hic natus, Paulaq; mater habent,
Tristi inq̃, quoniam rapuit sacer ignis utrũq;
Ante diem, læto q; periere simul.

AD OCTAVIVM.

Miraris (reor) in tuos honores
Nostras Sforciadum tacere musas
Octaui decus, heu nimis maligno
Astro sum genitus, malisq; fatis,
Totam uersibus in sacris iuuentam
Expendi et senium, et tamen negatur
De te pro meritis mihi facultas
Cantandi, ualeant fides, lyræq;.
Et plectra, atq; helicon, sua putabam
Vates omnia fictione posse,

Erraui,tua nanq; maior omni est
Virtus carmine,et admonet poetas,
Ne quantum prius efferant se in altum.

AD ANGELAM SFORCIAM.

Horruit,et lætata simul fuit Angela per me
Pieris ad laudes sollicitata tuas.
Pondus enim rerum,quantas non audiit unq̄
Ipse helicon,uatum corda timore replet.
Spes tamen hinc summi me consolatur honoris,
Si fuerit tanto uis mea par oneri.
Nunc uersu experiar solum libethridas uno,
Angela ut est hominum prima,erit et superum.

AD SAXVM.

Quæ quodcuq; uolunt,stilo loquuntur
Priscis uatibus elegantiore,
Musæ Saxe tuæ Angelam beatam
Testantur,q̧ eam meis libellis
Illucescere fecerim per orbem,
Erras,illa meis dedit camenis
Maiores hyperionis lucernas
Splendore,hic etenim nequit deorsum
Et sursum pariter fugare noctem,
Illæ perpetuus dies ubiq;
Clarescat,faciunt.cupis ne famam
Aeternæ tibi uindicare lucis?
Fac,ut nulla tuos lares papyrus,
Cui non hæreat Angelæ uenustas,
Ausit suffugere,hæc facit poetas

Cántata altisonos, relicta raucos.

AD CINNAM.

Promittis gazas nobis, promittis honores,
Quicquid habes, iurans asseris esse meum.
Nil tibi pollicitis pro tantis Cinna rependam,
Da nucleum, nucleus plus mihi carus erit.
Ficto animo faciem male respondere uidemus,
Mens cum fronte duplex fœdera nulla tenet.

IN HERCVLIS STOZAE NECEM.

Tetra nimis supraq; modum crudelia nostra
Tempora, proh facinus, Strozarum gloria uates
Ille inq; uates quondam mirabile in antro
Monstrum aganippæo cõpluribus obrutus armis
Vitam exhalauit, pudeat tam grande tulisse
Sidera flagitium, et tanto assensisse sorores
Lanificas damno. fallor ne? an uera fatebor?
Has uati simul et cœlum inuidisse? q; astris
Vitam hominum magis illustrem reddebat, et atræ
Immunem mortis ui carminis, ecquid olympi
Arbiter ignoras hæc nostra? potes ne teneri
Quin adeo horrendum scelus ulciscaris aperto
Supplicio? semper ne feres? ut fœmina uirq;
Non intellecto uindictæ horrore supernæ
Audeat impauidas laxare licenter habenas
Criminibus? quãtũ passim et ferme omnibus horis
Conspicimus fieri? quo te rapis? effuge, quo uis,
Ipsa licet fugias extra confinia mundi
Inq; imis erebi detur latitare cauernis,

Te deus inueniet scelerum ultor, et eruet inde,
Quoque magis pœnam tardauerit, hoc magis in te
Sæuiet, et lenta multaberis acrius ira.
Scilicet immensus tam digno in funere questus
Et procerum et plebis penetrabit inaniter auras
Aethereas: lacrymæque nihil cœleste mouebunt
Iustitium: satis est nimiumque superque uacatum
Dei superi, trifidas picea in fornace sagittas
Ponite. et innumero succendite sulphura folle.
Plectendum grauius crimen grauiore flagello est.
Me miserum, unde meis uox pendula faucibus hæsit
Impia decreram plures in uulnera chartas
Inque hominis uix credibiles contexere laudes,
Sed me destituit uirtus, pipleaque fontes
Turma mihi mœrore sui detraxit alumni,
Exequiisque uacat, florentique aurea myrtho,
Atque edera, et lauro, certatim busta coronat.
Taleque (si memini) aut simile est in marmore carmen,
Herculis hic Strozæ est tumulus, posuere camenæ,
Seque simul condi non posse, deasque fuisse
Sese ideo genitas doluerunt, cætera rerum
Pondere non studui cóprendere, quippe uidebam
Humanæ non posse capi scrutamine mentis,
Attamen id recolo multum aduertisse diuque,
Quod quicquid dici de uate uiroque probato
Vel musa referente potest, uel apolline magno,
Versibus insertum fuit, o immitia fata,
Quantus erat ciuis quantusque poeta futurus,

Sospite si uita proprios uenisset ad annos,
Quis patriã huic tenero cõmissam credat in æuo?
Rectaq; consilio foris esse domiq; secundo
Omnia? et inuidia populum præstare fauente
Obsequium iuueni in uotis habuisse? quis acrem
Et facilem potis est attingere carminis usum?
Seu lituo caneret, cithara seu luderet, extant
In rerum monumenta fidem, quæ nulla uetustas
Destruet, et metuat mordax attingere liuor,
O quondam dilecte uiris dilecte puellis
Sed nunc flende, quibus uideo te sordibus esse
Pollutum? secuit quis guttura cantibus olim
Aemula cigneis? quo percussore sinistra
Dextraq; mellifluas nequeunt intendere chordas?
Nec rabidas de more feras mollire? nec altos
Sistere torrentes? nec tollere sibila uentis?
O facies, tua quo species aufugit? et illa
Resplendens oculorum acies? illudq; serenum
Frontis? et ambarum candorq; ruborq; genarum?
Vidi ego diuulsos crines a uertice, humiq;
Vndiq; dispersos, totus quos uiderat ante
Sæpe coronatos helicon diademate, quale
Ferre sacrosanctis consueuit apollo diebus,
Hoc ne illud caput est sedes antiqua Mineruæ?
Ore ne credibile est (ut fama ferebat) in isto
Eloquii uim Mercurium ostentasse? uidetur
Aspectus remouere fidem miserabilis, heu heu
Cernite q̃ turpes nunc sunt in pectore plagæ,

Virtūtūm quod erat morūq; sedile, deiq;
Templū ingēs, o spes hominū quantū estis inanes,
Discite terrenis nil fidere rebus, et ire
Has fumo in nihilum tenuiq; fugacius umbra,
O breue et instabile et miseru, quod uiuimus, æuū,
Flos uelut in pratis caro deperit, ecce iuuante
Quem super humanum decus imperiosa creauit
Rerum opifex natura polo et mirantibus astris,
In cineres iacet acturum soluendum, et orbis
Quem sperabamus lumen fore, liuet, et omnis
In subitas rediit lux inde exorta tenebras,
Nāq; licet satis ampla foret nulliq; secunda,
Lucebat tamen exigua collata futuræ
Lampade, et æquari nocti potuisset opacæ,
Durus ero, dignusq; nota, si Barbara fletus
Institero cohibere tuos, iactura mariti
Haud leuis est, nec de facili medicina recentes
Consolidat plagas, tamen ut modereris acerbum
Forti animo uulnus tibi consulo, teq; reserues
Filiolæ, tibi finge p̄ces hanc fundere, teq;
Per patris et caræ sanctum genitricis amorem
Orare, ut lacrymis parcas, et corde dolorem
Oppresso excussisse uelis, hæc coniugis ora
Et gestus referet ueteris solamina curæ,
Adde uiri fratres consanguineosq; potentes,
Ille loco natæ te diliget, ille sororis,
Hic te ceu dominā, matrem alter habebit, et omnes
In te una atque tua sua munera prole locabunt.

Forsitan expectant Strozarum in stemata multi
Rhetorico de more meas prorumpere musas,
Hæc satis augusto noster defunctus honore
Ipsiusq; pater Titus indelebile nomen
Et decus aonidum celebrarunt, turpe putaui
Quod nequit augeri, numeris tentare pusillis,
Risus quippe foret, si pondera ferre gigantum
Pumilio uellet, bona dicite uerba quirites
Aeternūq; uale, nostris pro uiribus istas
Inferias dedimus tumulo, maiora poetæ
Maiores monumenta tuba maiore rependent.

EPITAPHIVM.

Stare diu summos apices non posse sepulti
Herculis hic Strozæ casus atrox docuit.
Altius hunc phœbus parnasi rupe leuarat,
Deiecit subita mors truculenta manu.
Discite mortales uestris nil fidere rebus,
Quærite, quod nulla ui ruit, hoc deus est.

DISTICHON.

Herculis hic Strozæ cinis est, thus urite uates,
Vmbra etenim phœbo par habet imperium.

AD PAVLVM.

Quæ modo Paule sequi castra incœpisse uideris,
q̃ sint militibus perniciosa suis.
Vt puro pentametro liquido monstrabitur uno,
Ocia diuinus iugiter odit amor

CHRISTVS CRVCEM BAIVLANS.

Si uideor iuuenis, summus decor obruit annos,

Et solitam excusat pœna breuis speciem.

AD SFORZAM.

Siquis in aoniis aggressus rupibus unq̄ est
Intrepido grandes pectine materias,
Ille ego sum (sociæ quod dixero pace cohortis,
Ius aliquid per se musa senilis habet)
Sed nunc Sforza tuis in laudibus hæreo, et utrum
Aggrediar, longis consiliis opus est.

BELLICA MACHINA.

Quo fugis? attingam quo fugeris, una salutis
Spes datur, Alphonsi confugere in gremium.

ITEM.

Sursum Iupiter intonat, deorsum
Nos Alphonsi opus, hunc timere debet
Terra, illum polus, æqua ut est potestas.

ITEM.

Martis honos ego sum, simul et gratissima paci,
Vincit enim nostra mars ope, paxq; datur,

ITEM.

Vix sonus exiuit, glans ærea diruit arcem
Quam petit, et quicquid contra habet ulterius.

ITEM.

Vulcani me quisquis opus putat, errat ut artis
Inscius, Alphonsi sum labor, hinc decor est.

EPITAPHIVM.

Herculis hic Strozæ dum conderet ossa mariti
Barbara Taurellæ gloria gentis ait,
Care uale coniunx, siqua prece fata mouentur,

Claudet et hæc cineres ocius urna meos.
Dixit,et hic posita est,et secum forma pudorq̨,
Cũq̨ uiro aonii turma nouena chori.
Qualiter in uita unanimi requiescite manes,
Dulce olim latii nunc decus elysii.

AD AMICVM.

Cum pridem obtulerim senex camenis
Et plectrum,et citharas, sacrãq̨ laurum,
Respondebo breui tibi tabella,
Casus me miseret tui, sed horror
Te, quantum ualeo, feras quieto
Durum pectore carcerem,uelisq̨
Quod uitare nequis pati libenter,
Sic omnes leuius premunt labores.

EPITAPHIVM.

Vrna,ubi sunt cineres,breuis est,uirtutibus intus
Clausi hominis minimus terra fretũq̨ locus.
Astra supergressæ sunt,et (nisi fallimur)astra
Angustant,cedant numina.Saxe faue.

EXCVSATIO IN LIBELLVM
DE VITA CHRISTI.

Forsan,ut incultum de uita et dogmate Christi
A multis nostrum corripietur opus,
Huic ego pægaseis insueta uocabula nymphis
Inserere,haud magnum sum ratus esse nefas.
Dicendiq̨ modis,quos pagina sacra frequentat
Pieris utendum censuit esse mea.
Respondere suis debet liquor euchius uuis,

Et propriis pomũm quodlibet arboribus.
Humor aquis,æstus flãmis,radicibus herbæ,
Atq; suis pariter sermo uoluminibus.

ENDECASYLLABVM.

Siquis, q̃ facili stilo libelle
Descriptus fueris,nota putabit
Te dignum,fer eam libenter, ut quam
Plus laudis tibi nouerim daturam
q̃ probri,siquidem explicare nescit
Conceptus animi poeta durus,
Ipsiusq; ideo solet tabella
Filo, ceu labyrinthus indigere,
Et,quod turpius est,frequenter illud
Totum soluitur exitu latente.

AD SAXVM.

Nostræ,dum canit Angelam,thaliæ
Miraris numeros simulq; sensa,
De te falsa tuisq; de camenis
Sunt præconia publicata passim,
Vos per prata uidelicet sororum
Semper thespiadum deambulare,
Si uerum id foret,Angelam bicorni
Scires præpositam fuisse monti,
Vniusq; sacros manus per eius
Haustus castalii dari poetis,
Si uis Saxe tuas reintegrare
Laudes,aut modulos meos fuisse
Dic præmateria nimis pusillos,

Aut plectris dominé meis fauenti
Fac totum,quotus est,ferás honorem.

AD PAMPHILVM.

Dignius esse nihil puto q̃ seruire.nec unq̃
Inde aliquis potis est me reuocare labor.
Et tamen aduersos habeo plerũq; trucesq;,
Quicũq; obsequiis prævaluere meis.
Pugna noua est certare probris et laudibus,ira
Miti animo,furto munere,felle, fauo.
Quæ possunt nosci,fama est te noscere, credam
Pamphile,si dices,hic iocus unde uenit.

AD VITTVM.

Offendit stomachum tuum cothurnix,
Hoc pro me genus alitum tenebo,
Gallinæ teneros satisq; pingues
Pullos,gloria uitte sæculorum
Nostrorum,tibi mittimus p̃cantes
Et morbi dominum et salutis, ut det
Talem muneribus meis uigorem,
Vt cum cœperis esse, sentiantur
Vires restitui tibi priores,
q; si contigerit secus, memento
Aduersis hominem magis probari,
q̃ cum fluctibus euolat secundis.

AD SAXVM.

Nunq̃ ego castaliis debere negabo puellis,
Me siquidem in studiis erudiere suis.
Attamen ignoscant mihi nunc mea iura tuenti,

Defendi propria uel nece debet honor.
Se nostro afflari spiramine Saxus et inde
Asserit in sacros numen habere modos.
Ergo nouos agite o uates gustare liquores,
Forsan hyantheas destituetis aquas.
Nunq̃ errans homines docet experientia rerum,
Quid minus et quid plus utilitatis habet.
Nec uolo, de tanta me quisq̃ laude notarit,
In causa est Saxus, non ego, si infatuor.

AD GERMANICVM.

Forsan ut haud solitum infatuor Germanice musis
Transuerso feriet scita caterua ueru,
Quicquid in antiquis reperitur uatibus, illud
Non ne aliquando nouũ teste helicone fuit?
Forte meis quandoq; fidem piplea libellis
Turba dabit, nulla est res sine principio,

AD LEONEM.

q̃ cito diffugiant, quoscũq; tenemus, honores,
Forma, ualitudo, stemmata, robur, opes,
Quæ Leo sunt lapsæ, capies examine rerum,
Quæ bona, quæ mala sunt, cernimus hoc speculo.

AD SAXVM.

Non haustus medicæ saluber undæ,
Non febris, nec inertiæ ligamen
(Vt uersus referunt tui) sed index
Summæ in nos reuerentiæ pudor te
A cœna retinet mea remotum,
Contra Saxe tuæ professionis

Ius sanctum facis, hinc fides tabellis
Nulla est danda tuis, solent libenter
Vates dulcibus interesse mensis,
Quin illas studio sequuntur omni,
Nec sane uitio gulositatis,
Sed desiderio suos canendi
Conuiuis modulos, ueni uolaq;
Musarum rogo sarcinis onustus,
Lugubres sine te dapes uidentur.

AD SCIPIONEM.

Nostram adeo differs absoluere Scipio litem,
Vt doleam primo non periisse die.
Quid ꝑcor expectas? forsan ne ꝑcantia uerba?
An magis aurifera dulcia dona manu?
Rumpe moram, seruetq; suas astræa bilances,
Seruato potius perdere iure uolo.
Vincere qui mauult ꝑcibus seu munere causam,
q̃ui iustitiæ cedere, mente caret.
Quid iuuat amissa gazas acquirere fama?
Atq; anima? ante oculos hoc tibi pone uitrum,
Multas et grandes ibi res speculaberis intus,
Corporea cerni quæ nequeunt acie.
Quicquid es acturus, speculo si lucet in isto,
Fac te operi accingas, sin minus, abstineas.

AD SAXVM.

Dum nos Sforcigenæ Angelæ decorem
Et lenes canimus grauesq; mores,
Immensum tibi carminis stuporem

Maiestās moūet, et lapis uideris
Effectus sine uoce et absq; sensu,
O q̄ Saxe tuæ diserte famæ
Respondes male, quippe te putabam
Inter laurigeros duces priorem,
Laus est nulla ratis, sed est regentis
Euasisse truces maris procellas,
Sum lignum̄ citharæ, Angela est magistra,
Quod non hæc potis est dare adiuuamen
Cui uult in modulos lyra canendos?
Seu grandi lituo? aut graui cothurno?
Quantos pægasides nec audierunt
Nostro tempore nec uetustiore,
Quod cum te lateat, potes negari
Cirræi bonus esse cultor horti.

DISTICHON.

Desiecor totiens tibi cōmendare libellos,
Malo, de hinc subeat bibliotheca pyram.

AD SAXVM.

Vade uerecundis pro maiestate poetæ
Gressibus ad Saxi pagina nostra lares.
Herculis ad cœnam dic aonidūq; uocaris,
Herculis una etenim est aonidūq; domus.

AD SERTORIVM.

Cum multum tibi debeam, uolebant
Ad te pierides meæ canendum
Lentas pectine temperare chordas,
Sed nos sarcina terruit, fatenti

Delictum bona pars solet remitti
Pœnarum, hinc mea subleua parumper
Terga, et quod potis est rudis thalia
Vatis reddere non pecuniosi,
Pro summis rogo gratiis capessas.
Ac ne me chely blandiente credas
(Vt mos aonii est gregis) iocari,
Iuratis clarii dei coronis
Quod noui facio palam poetas
Quotquot cirra docet tuas pauere
Laudes uersibus aggredi, necesse est
Sertori, tua se colat Minerua.

AD MAXIMIANVM.

Innumeris animam fœdaui sordibus, et me
Aeterno dignum supplicio fateor.
Has tamen ut facili capias p̄cor aure querelas,
Mœstaq; te moueant supplicis ora rei.
Horreat undanti saniem tractare Machaon
Vlcere, nunq̄ aliquam sentiet æger opem.
Diuini in miseros uerus zelator honoris
Non habet auditum Maximiane grauem.
Ergo ades, et tanti curam cape uulneris oro,
Plaga abigens hominem sub styga non leuis est.

AD SEBASTIANVM.

Quis nunc audeat o Sebastiane
Summi iustitiam dei negare?
En q̄ præpete perdidit ruina
Agros Pompilius, diebus ante

Qui paucis spoliauit impotentes
Vicinos laribus bonisq; cunctis,
Fœlix qui proprio quiescit asse
Contentus, uolucris rapax in alis
Os semper tenet anxium leuatis.

DISTICHON.

Vt nubes aquilo flatu,sic iuris amator
Rex scelus aspectu dissipat omne suo.

AD VGONEM.

Cras uiuam bene dicis usq; et usq;,
Cras nunq̃ tamen istud enitescit,
Debent Vgo rosæ legi recentes.
Fert damnum mora sæpius paratis.

DISTICHON.

Suppliciũ mentes aperit,res prospera claudit,
Elige,utrũ mauis desipere an sapere.

AD OCTAVIVM.

Me norim licet optime fauori
Erga me chelyn et fides, et arcum
Et uoces nimis impares habere,
Nolo propterea tamen tacere,
Quisqs,quod potis est, facit, meretur
Laudari,citius negabit orbi
Titan lumina, q̃ tibi recusem
Octaui dare cœlicos honores.

AD SISTVM.

Quicquid opinaris,loquerisq; facisq;,nefandũ est,
Inq; animo est nunq̃ pœnituisse mali.

Inq; dies cœlum tamen arridere uidemus
Plus tibi,teq; rota prosperiore uehi.
Prosequere et gaude, procul a me. Siste recedát
Quæ dolor æternus gaudia subsequitur.

AD SAXVM.

Cum respondeat atq; cōmodetur
Momentis tua singulis Minerua,
Ingenti teneor stupore Saxe,
Saxorum (nisi fallor) huc et illuc
Haud natura potest habere motus,
Tu serpentis habes reflexiones,
Et plures sine fine,fles,cachinas,
Ieiunas,comedis,calescis,alges,
Blandis uteris acribusq; uerbis,
De terra,aere,fluctibusq;, et igne,
Deq; orci loqueris poliq; campis,
Quod uis deniq; centies in hora
Quin immo ictu oculi,uelut requirunt
Res, mentis loca corporisq; mutas,
Ne fiam uereor stupore Saxum.

AD CAROLVM.

Ex uirtute solet quandoq; superbia nasci,
Sed Titus ex stupro mollicieq; tumet.
O scelus inferna dignum fornace,putasne
Offendi grauius Carole posse deum?
Quid nam aliud ceruix hominis resupina nefandi
Fulminat?et reboat?quid?nisi in astra minas?
Cœlicolæ aut fugiãt, aut istec mōstra flagellent

Quæ mora supplicii deteriora facit.

AD AMICVM.

Donas largiter omnibus sorore
Excepta propria, putans teneri
Nil te illi dare, sit licet pudica
Et paupercula, rem scies sepultus
Cum iugi (timeo) et graui dolore.

AD MED. CARD.

Summa tuæ probitas uitæ, non alta galeri
Sella rubri seruum me facit esse tuum.
Inq; huius tibi seruitii indelebile pignus
Decantata noua carmina mitto lyra.
Quæ tibi si noto placuisse tuisq; poetis,
Forte breui dabitur tempore maius opus,
Interea Medice princeps celeberrime gentis
Fama uale natum te memor esse hominem.

AD FRANCISCVM.

Peccatum (moneo) tuum negare
Ne Francisce uelis, loquuntur illud
Vultus, frons, oculi, manusq;, raro
Mens infecta potest foris taceri.

AD SABBAVDIVM.

Siquis collibus ausus in iugosis
Parnasi fuit arduas et amplas
Res attingere, me puto secundum
Haud ulli esse (sed his uelim poetæ
Dent uerbis ueniam, senex licenter
Vates sæpe potest loqui, suisq;

Applausisse modis) tamen tenetur
Nunc anceps mea pieris, timetq;
Pondus laudibus in tuis ferendis,
Quare si moror, imputare noli
Sabbaudi mihi? quis ualet timori
Frenum ponere? maxime periculum
Cum se offert oculis palam uidendum?
Ne me sternat onus, prius diuq;
Sunt oracula consulenda, quanta
Sit de rupe sacræ ruina cirræ,
Describi haud facili potest auena.

AD SERTORIVM.

Iam mea musa potest animo dormire quieto
Lætaq; secura plectra mouere lyra.
Nos etenim accepit Sertorius ille tuendos,
Quem decorat summis Iulius officiis.
Iulius in terris alter dominator olympi,
Clauigerum moderans nauiter imperium.
Adde (quod haud minimi facio) Baptista fauorem
Pollicitus largo pectore scriba suum est.
Baptista ausoniæ non infima gloria linguæ
Normaq; fanensis primaq; fama soli,
Terra inimicitias contra me iuret et æquor,
Cuncta tua uincam ꝑlia tutus ope.
Inq; aciem phœbus uel calliopea parentem
Me uocet aonia, quin et utercq;, tuba,
Non minus aggrediar lætus certamina, q̄ si
Cum grege pygmæo bella gyges habeat,

Expectate nouos heliconia numina cantũs,
Tu modo Sertori lingua animoq; faue.
Deq; tuo liceat doctos haurire liquores
Fonte mihi plenis ad labra summa cadis.
Entheus haud siquidẽ furor est aliunde petẽdus,
Siquis auet digna te celebrare lyra.
Sit satis his operi nunc prælusisse futuro,
Maxima sunt longa præmeditanda mora.

AD SAXVM.

Vt scribis, lapis effici uereris
Nostri dulcisona manu Vicentii,
Ac nostros ideo fugis penates,
In falsa tua mens opinione est,
Quin hoc sæpe silex sonante uentis
Ad cantus uolat ocius canoros.
Hunc iuxta sedeat Medusa, Saxis
Cernes duriciem suam remitti,
Ne fias igitur nihil timeto
Saxum Saxe, sed est magis tenendum
Si Saxum fueris, statim futurum
Hinc te flexibilem tenerrimũq;,
Ad nos ergo gradu ueni citato,
Te desiderat uxor et maritus,
Nec non tota cohors domus, et ipsa
Te symphonia mœret exulante,
ꝙ si nolueris uenire, Saxum es.

AD FLAVAM.

Quicquid agis, nullo conditur Flaua rubore,

Non aliter q̃ si saxea tota fores.
Vnde quid est mirum tua si cõnubia cuncti
Diffugiunt?nemo nubere uult lapidi.

AD SAXVM.

Quod nostris tribuis,magis referri
Debet Saxe tuis diserte musis,
In duros etenim tuo lapillos
Vertuntur modulamine audientes,
Capto lumine,perditoq; sensu.
Quod si forte neges, ueni et uicissim
Cantemus, scio me statim uidebis
Saxum,Saxe comas habes medusæ,
Saxusq; ut reor inde nominaris.

AD LAZARVM.

Cum lubet aonias ad plectra uocare sorores,
Cura tibi est alta cuncta referre tuba.
Lazare quanto uis extolle sonore libellos,
Non probo,quæ sensu Calliopea iacet.
Quæ numeros pictura suos obseruat in omni
Parte uel exigua, pluribus illa placet.
Non ita quæ ascito et studioso innixa colori
Se fouet.esca suum debet habere salem.

AD CAESAREM.

Quæ nobis dator omnium bonorum
Largitur propria benignitate,
Dum nobis ea Cæsar arrogamus,
Ventis hæc pariter damus ferenda.

AD ALEX.GVARINVM.

Seu uis grandiſona tuba ſonare,
Seu uis ludere leniore plectro,
Seu fari cupis in ſtilo ſoluto,
Semper,ſeu fuerit gelu uel æſtas,
Seu nox turbida, ſeu dies ſerenus,
Totas in numerato habes camenas.
Quare te per aui patriſq; magnas
Oro pieridas Guarine ſacri
Fontis gloria prouocare nolis
Ad certamina nos gregem puſillum,
Aut conuentio fiat,ut uiciſſim
Tu ſolūmodo uerſibus duobus
Nos,quotquot uolumus, queamus uti,
Quin nos hoc etiam modo timemus
Aut pelli aut oculis uel his et illi,
Da nobis rogo et oro cōmeatum,
Vitandus locus eſt periculorum.

AD LINVM.

Te quia deſipere et natum leuiore cerebro
Conqueror,accuſas me Line tabe odii.
O mala ſors hominum,qui ſingula uerba ſiniſtris
Semper amicorum ſenſibus accipiunt.
Quis tibi cū lucris modus eſt?nonne eſſe furentis
Dixeris ex potu multiplicare ſitim?
Deſine diuitiis inhiare,fatebimur eſſe
Inſipidum præ te Socratis ingenium.

DISTICHON.

Commendare suas proprio res Carole fratri
Præsertim quotiens sæpe fit id, furor est.

AD PRAESVLEM.

De nostris quid ais diserte præsul.
Musis pægaseo carent furore,
Noui,si in reliquis probas,sat hoc est.

AD HERNICVM.

Si quibus ornaris uirtutibus Hernice, uellet
Carminibus uatum tota referre cohors,
Ante peragrato decies transiret olympo
Signa per astriferi sol duodena poli.
Haud facile ignotas parnasi in uertice laudes
Attigerit digna calliopea lyra.
Quæ noua materia est,etiã noua plectra requirit,
Hæc mihi sunt aliqua perficienda mora.
Interea quoniam,sua qui bona detegit,hostes
Elicit ad furtum,sæpeq; perdit opes.
Fac teipso sis teste tui contentus honoris,
Hydra sub applausu perniciosa latet.

EPITAPHIVM.

Tassonus iacet hercules sub ista
Saxorum strue raptus ut potenter
Astrææ comes hunc gubernet orbem.
Qui pridem sine legibus minatur
Grandem (proh hominum pudor) ruinam.

IN CHERILVM.

Quæ mea de Cherilo quæris sit opinio,dicam,

Mentem hominis q̄uis sæpius error agat.
Vel neq; regna poli neq; subterranea credit:
Esse,uel humana bellua sub facie est.
Nam quæ sæcla hominē noua uel seniora tulerūt?
Qui minime fœlix,si queat, esse uelit?
Attamen hic omni studet arte miserrimus esse.
Cum plures quærat semper anhellus opes.

AD ANGLICVM.

Seu titan aperit. seu nox tegit Angliciæ terras,
Semper oles ueteris cretica uina cadi.
Inscius acceleras gelidæ succumbere morti,
Inuitaq; tibi busta paras lachesi.
Spes tamen,ut uiuas,superest in clade propinqua
Vnica,clitoriæ scilicet haustus aquæ.
Forsitan hoc dices priscos finxisse poetas,
Væ tibi,sic igitur nulla relicta salus.
Ergo uale,longūq; uale,taliq; sepulchrum
Carmine signari, si placet,ante iube.
Anglicus hic situs est,temetum præponere uitæ
Vt studuit,celeri raptus ita est obitu.
Pampineis tumulum ramis ornate,merūq;
Fundite,credibile est,umbra siti pereat.

AD SIMONEM.

Te fatis genitum putas benignis,
Applaudisq; tibi Simon, q̄p addis
Gazis quottidie nouas uetustis,
Heu quot fallit opum libido,mente
Absentissimus omnium uideris.

Nam quid tam ſtolidum?magiſq; probro
Dignum?q̃ quotiens minus uiarum
Reſtat, plus hominem uiaticari?

AD MAXIMIANVM.

Tota ſuas doctæ uires academia cirræ
Colligat in laudes Maximiane tuas
Pondere ſe rerum uinci teſtabitur.atq;
Mente oneri læta ſuccubuiſſe feret.
Inuidiam cogit uirtus præſtare fauorem,
Quin et ſæpe facit,dulciter hoſtis amet.

AD ALPHONSVM
GVARINVM.

Qui bene uult laudare hominẽ uirtutibus amplũ
Pluribus utatur uerſibus hic opus eſt,
Pagina præſenti cum ſit uitioſa libello
Longa Alphonſe, tuum diſtichon iſtud erit,
Calliope phœbusq; tuis in laudibus omnes
Expediant chordas,carmine maior eris.

AD PHILETVM.

Cum nullo tua uis loquatur uxor,
Et clauſam retines eam,uetasq;
Ne celſam propius quidem feneſtram
Accedat,quid agis Philete?ſemper
Mentes plus inhiant magis negatis.

AD LINVM.

Aeſtiuas uincis Line garrulitate cicadas,
De propriis quotiens carminibus loqueris.
Aetoliis urbem quidam teſtantur in oris

Esse, ubi uox generi nulla sit huic uolucrum.
Nunquid ibi credis tua lingua taceret, earum
Si tibi naturam dei superi dederint?

AD BABTISTAM.

Nostrorum defles mores Baptista dierum,
Nullaq; non gemitus obstupet hora tuos.
Parce piis lacrymis nec opem praestantibus omnes
Vt celebres fiant, crimen in acta ferunt.
Vsq; adeo sanctis hodie de legibus actum est,
Seruet ut has siquis mente carere putent.

DISTICHON.

Cum laceret duris te turba domestica probris,
Mutari in ceruum Ladisilae caue.

AD FLACCVM.

Ad minimos metuis strepitus, ad lumina, ad ūbras,
Inspectaq; tremis ceu periturus aqua
Et tibi nil prodest adamas, quia nulla timores
Flacce medella leuat, quos mala uita facit.

AD LYGDAMVM.

Filius aegrotat pridem tuus, utq; ualere
Is queat, expendis Lygdame quicquid habes.
Sed caue, ne genere in morbi podalirius erret,
Ne ue puer nympham uiderit inter aquas.

AD BARTHOLOMAEVM.

Si dominae est ancilla tuae suspecta puerq;,
Aequo animo (moneo) Bartholomaee feras.
Cum fuit ortus amor, partu (nisi fallor) eodem
Prodiit in superas zelotypia plagas.

AD ALEXANDRVM GVARINVM.

Cum totiens phœbo doctisq́ʒ sororibus arma
Militiæ obtulerim docte Guarine meæ
Miraris, cur sponte eadem tam sæpe resumam,
Falleris, id siquidem dextra coacta facit.
Nec causam inspicio, cirræ penetralia nosti,
Erue, quæ latitant, forsitan inuenies.

AD LEONELLVM.

Si tibi (quod multi referunt) nunc esse uidentur
Carmina terpsicores paruisonora meæ,
Nil tibi (ceu forsan credis) succenseo, nanq́ʒ
Iugiter haud eadem res Leonelle placet.

AD IVVENEM.

Nil iuueni peius, nec plus damnabile quicq̃
Esse potest, q̃ sint lectulus, umbra, iocus.
Sic nulla suffulta uenit uirtute senecta,
Collige, dum florent tempora uerna, rosas.

AD CAESAREM ARAG.

Qꝫ mea musa tibi placeat, nihil inde superbit,
Nec se ideo dignam Cæsar honore putat.
Nouit enim, q̃ fallat amor, pulchrumq́ʒ uideri
Turpe quod est faciat, miteq́ʒ, quod furor est.

AD GVASPAR.

Desine de nostro maledicere Guaspar amico,
Sum contra sotios surdus in opprobriis.
Non cedit leuibus pylades nysus ue susurris,
Læditur haud ullo uulnere fidus amor.

AD VGONEM.

Pieridum numos optas magis Vgo mearum.
 q̃ ueterum grandes quos cecinere tubæ.
Vnde sit hoc,miror,nisi quæ plus tollere iusto
 Res studet,illudat garrula fama mihi.
A nobis modulos potes expectare canoros,
 Edere si fructus plantula sicca ualet.

AD CAESAREM ARAG.

Nolo tuas animi dotes nec corporis artes
 Eximias nostrum testificetur ebur.
Carmine sunt Cæsar maiores quodq; patenti
 Sole magis notum est,nulla ope testis eget.

AD SFORCIAM.

Perpetua emeritos donare quiete iugales
 Phœbe potes,nobis sol nouus ecce datur.
Continuam siquidem terris concedere lucem
 Non interposita Sforcia nocte ualet.
Somne papauereis comitate soporibus istinc
 Effuge,subq; nigro,si placet,orbe late.
Nil homines posthac semper uigilare pigebit,
 Iugiter ut liceat tale uidere iubar.

AD ANTONIVM.

Cãdida quod loquitur placet, et qđ spirat odoro,
 Quod damnat damno,quod probat ipsa probo,
Forsitan insanus uideor tibi,nescio quid sum,
 Nulla sit Antoni candida,nullus ero.

AD MAXIMILANVM ANGELA SF.

Non frustra nomen sortite fauentibus astris

AD MAVRVM.

Qua uirtute suos uelit parentes
Tullus Maure coli cupis doceri,
Si longo socius potest in usu
Qualis sit bene percipi, cerebri est
Infecti atq; animi, nec hunc ualeres
Totis anticyrae iuuare gazis,
Nec uermis nec homo sibimet ipsis.
Debent nec caro nec cinis placere,
Sunt uilles nimis et nimis creati,
Quod terra est nequit in superna tolli.

AD ALNVM.

Falleris euryali de moribus Alne futuris,
Mansuescet nunq̃ trux lupa, qualis ouis.
Quo magis arridet studio maiore cauendũ est.
Is miser est, cuius uulnere turba sapit.

AD SCIPIONEM.

Nón iugulat uentura ducem uictoria, nec quæ
Scipio differtur, spes hominem interimit.
Es miser, expecta lucem post nigra serenam
Nubila, poma suum mitia tempus habent.

AD LINVM.

Fac tibi quod placitum est, et crede fauoribus Vrsi,
Si tamen audieris nos, mage cautus eris.
Si nitet una dies hiberno sidere, noli
Propterea longum carpere fisus iter.
Non poterit durare diu Line tale serenum,
Non patitur multos bruma nitere dies.

HEXASTICHON.

Iulius hesperiis et eois notus in oris
Ob magni dotes innumeras animi,
Ecce gemit teneræ captiuus amore puellæ.
Sedulus et quicquid iusserit illa facit,
In tuto credat nemo uirtutibus esse,
Grande etiam seruit sæpius ingenium.

AD CAROLVM.

Siste gradum,atq; animos tandem cõpesce feroces,
Et noli annosi spernere iussa patris.
Amisso temone ratis submergitur, et qui
Excussit frenum, præcipitatur equus.
Est melius salua famulari Carole uita,
q̃ miseræ in solio succubuisse neci.

DISTICHON.

Si cupis et gazas et honores tempore nostro,
Disce puer cunctis flectere uela notis.

DE PRINCIPE AVARO.

Heu fuge crudeles terras, pete in hospita Iuli
Regna,sub obscuris occule te caueis.
Principis insidiis locuples et pauper auari
Durat,ut ætneis cæra tenella focis.

AD ANGELVM.

Cur niteat uitium cur sordeat Angele uirtus,
Consulis, haud usq̃ regna minerua tenet.

AD VRSVM.

Quid iuuat innumeros ex hoste referre triũphos,
Si grauis exuuiis imperat Vrse furor?

Nulla equidem palma est maior,q̃ uincere sese,
  Victoriq; sui uera corona datur.

AD BOIARDVM.

q̃ grandi Boiarde mihi sis uinctus Amore
  Mens erat imparibus significare modis,
Nunc animo Euryalus,nunc succurebat Orestes,
  Pensabam pyladem, Thesea,Pirithoum,
Sũq; nouos etiam dudum scrutatus amicos,
  Nullus conferri qui mihi posset,erat,
Intus amicitiæ graue sentio pondus,at illud
  Musa nequit numeris explicuisse suis,
Garrula quod doctæ non possunt agmina cirræ,
  Spero tua ex facili perficietur ope,
q̃ pores ingentem,uel si transcenderit astra
  Corde fidem tecum concipe,tanta mea est,

AD VINCENTIVM MVSTVM.

Sic mihi Alexander Vincenti Muste Guarinus
  Laudauit uitæ candida facta tuæ,
Vt licet exoptem nostris te intexere libris
  Vnde queant nullos extimũisse rogos,
Attamen insolitum pondus mea pieris horret,
  Et nimio fœtam germine materiam.
Sed quoniam breuiore solet sacra tangere uersu
  Musa,quod humano est grandius ingenio,
Muste uale,propriis tua laus innixa columnis
  Stabit,ut æthereis sphæra superna polis.

AD ALEXANDRVM GVARINVM.

Gum ſemel aut ſaltem bis docte Guarine poetas
Perlego, quos cirræ uertice phœbus alit,
Mens alios latices, aliam deſiderat eſcam,
Non ita quando tuas res legit, illa facit,
Quo tua plectra moues magis, hoc magis eſſe uidetur
Et noua, et Orpheis æmula carminibus.
Atq; adeo mulcent aures, animoſq; ſerenant,
Vt credam, melius non ſit in axe melos,
Sed neq; par forſan, quis enim dulcedine tanta
Allectus, magnis inuideat ſuperis?

AD CAESAREM ARAG.

Venimus ad finem noſtri puer alme libelli,
Si placet? accipiet cana thalia rudem.
Sin minus, ibo iterũ querulas heliconis ad undas,
Sed prius eſt requies paruula danda ſeni.

FINIS.

Errorum correctiones.

In.F.Rex faues, fauet.2. Soluendum et orbis, ſol uendus.7. Ius aliquid, aliquod.8.
In.G.ſacraq; laurum, ſacram.1. Maxime periculũ, periclum.6. Anglicę terras, Anglicę.8.
In.H.Nec opem pręſtantibus.omne.iii.1. Haud facile eſt adeo quicq̃, q̃ fallere ſeſe.4.
Eſt ingenio ualeas opus.Eſt opus ingenio.4.

LODOVICI BIGI PICTORII FERRARIENSIS EPIGRAMMATON LIBELLVS VGVCIONI AMBROSII CONTRARII FILIO DICATVS FOELICITER INCIPIT.

VM MALA TE COGANT VGVCIO
tempora ruri
ET PROCVL A PATRIO NVNC HA
bitare solo,
Vt tibi quæ possum præstem solatia, mitto
Quem meus excudit nuper apollo librum.
Istac lege tamen, ne sit graue pumice mendas
Tollere, ut a criticis per fora tutus eat,
Et quota succedet laus inde, uel æqua duobus
Vel tua (quod pluris fecero) maior erit.

AD LECTOREM.

Scire cupis forsan, quis nam hæc epigrãmata cudit,
Herculis estensi sanguine scriba fuit.
Non ne putas, isti maiori hoc cedat honori,
Dicatur celeres q̃ ꝙ habere canes ?
Aut trifido uolucres assuetas ungue rapinis ?
Sed tamen has pluris (pro dolor) aula facit.

AD VGVCIONEM.

Cum re non ualeam palam meorum
Spes Vgucio carminum docere,
q̃ me grandis amor tibi ligarit,
Hæc uerbis faciet fidem tabella

Quod possum ingenio, manuque, necnon
Nugis pieridum, tibi tuisque
Id semper potes omne polliceri,
Inseruire tibi loco putabo
Summi muneris, impera lucranti.

AD LINVM.

Nemo putet gemino nil amplius esse sub axe,
Quod Line mutari tempore posse neget,
Ecce quod haud fieri poterat, factum esse uidemus,
Quando odium tuus est in graue uersus amor,
Indoleam quis, nullius conscia culpæ
Mens tamen haud modico corda dolore leuat.
Stringe in me gladium, duras iaculare sagittas,
Quin te, non facient, tela nec ensis, amem.
Quicquid et ingenio gazisque, et corpore possum,
Siquid et est, placeat quod magis, omne tuum est.

AD LEONEM SVMMVM PONT.

Quo tua mortales probitas Leo uinxit amore,
Optabam modulis explicuisse meis.
Et quoscunque tulit deus et natura fideles,
Librauí innumeris hinc simul inde modis.
Resque ipsas etiam sum nixus tollere, tandem
Fœdera sunt uinclo nulla reperta pari.
Quin desiderio quo plus parere uolebam,
Hoc magis ad numeros efficiebar iners.
Haud secus in cassum nimio sub fasse laborat
Virtute assidue deficiente senex.
Mens cupit, ast impar uis est, succurrere uotis

Tu potes, his letio numine quæso faue.
Q̃ potis es, solidam sub pectore cude catenam,
Corda tuis hominum moribus icta ligat.

AD BRASAVOLAM.

De me animo potes esse bono, nam nulla cupido
Numorum duris me tenet in laqueis.
Quin scito dudum, quod erat mihi pauperis æris,
Me consanguineis distribuisse meis.
Attamen admisso stimulos tua cæra iugali
Subdidit, in sacris cæra locanda tholis.
Talis enim est, oculi quæ possit et ocius ictu
In tua marmoreum flectere uota mydam.

AD VGVCIONEM.

Ni fallor, niue totus iste collis
Candet cruribus altiore, et acri
Debent arua gelu rigere, quid nam
Rerum istic facias, uelim doceri,
Certe ut credibile est, aues sonoris
Venati alitibus minus feroces
Non conceditur, aut apros molossis;
Te forsan retinet, quod opto, ludo
Addictum sapientiæ Mineruæ,
Noui Vgucio maximas capacis
Vires ingenii, boniq; summi
Firmum propositum, tibi fauendum est,
Quare ne mea te petat papyrus
Dimisso domino deoq; nostro,
Donec palma tibi superna detur,

Nunq̃ desine militare Christo,
Omni in gymnade turpiter uacamus.

AD ALEX. ET ALPHON. GVARINOS.

Cum nequeam uestra nunc consuetudine propter
Interualla uix longa et iniqua frui,
Qua potero ratione meum conabor amorem
Solari, auspiciis uade epigrãma bonis.
Vade, sed ut rapidi minime tardare triones
Vela queant, tacita labere quæso rate.
Cũq; tibi fuerit coram data copia fandi,
(Nam dabitur nulla grata libensq; mora)
Primus Alexandri sit sermo, nouissimus autem
Alphonsi, amborum distichon istud erit.
Posse parum fateor, quin et nihil, id tamen omne
Siue parum uobis offero, siue nihil.

AD AMICVM.

Vnde tuos nostro libros subieceris ungui,
Vi nulla ingenii certior esse queo.
Posterior quãuis lateat me mantica, nũquid
Stet celata mihi credis et anterior?
Nec Pallas nec Apollo suo me scripsit in albo,
Iudicio cantus surda thalia caret.
Quære, tuos melius qui correxisse libellos
Noscat, ad hoc Phœbus forsitan aptus erit.

AD ANGELVM.

Parce deis superis, caros sepone parentes,
Diuitiasq; Mydæ Nestoreosq; dies.
Exige uel solo quod concupis Angele nutu,

Læditur aſſidua nam prece uerus amor.

AD AMICVM.

Mitto tibi noſtros in Chriſti geſta libellos,
Expecto, referas, quale putaris opus.
Sed niſi decipior, tolles ſuper æthera, nãq;
Quo flagras, eius te (ſcio) fallet amor.

AD ZOILVM.

Quam mihi calliope Phœbusq; dedere, bilance
Singula librauí codicis orſa tui,
Vtq; tibi referam quod ſentio, miſſa papyrus
Sacra per aonii flagitat antra iugi.
Ne multis teneare, licet ſis Zoile canus,
Qui ſapiat ſenium, non fuit ullus apex.

AD EVNDEM.

De numeris quæ noſtra tuis ſit opinio, rurſum
Vt referam, poſcis ſollicitasq; prece.
Conſilium mutare uiri eſt ſapientis, in omni
Pluſq̃ pierium carmine nectar habes.

DISTICHON.

Quod multi fugiant, ſimulac legere libelli
Nomen, mirari deſine, caſta docet.

AD AMICVM.

Fabula neſcio quæ fertur, ſortita ſed illa eſt
In me ipſo miram dulcis amice fidem.
Plena fuit ſaxis capſa una, ſed altera gazis,
Lectio mancipio ponitur, utra placet.
Elegit, ſilicũ quæ plena erat, attamen iſtud
In domini potius dedecus eſſe reor.

Nunquid amōr poni debēt ſub ſorte fidelis?
Proh ſcelus,in nobis regna libido tenet.

AD ALEX. GVARINVM.

Parce,tuas fugio ſi clare Guarine camenas,
Nec me quæſo reum ruſticitatis habe.
Non decet,ut coruus modulante reclamet holore,
Prouocat aonidas uox tua quippe deas.
Forſan et hæ metuent tecum ſubiiſſe duellum.
Tutius in celſa rupe heliconis erunt.

AD AVLVM.

Sum tam dulciter ociatus Aule
In pſallentibus Angeli libellis,
Vt uiſus mihi ſim domus supernæ
Inter gaudia ſæpe cōmorari
Oblitus cereris licet fameſcens.
Sed cur non eadem ſequar,tenebit
Te forſan ſtupor, in luto iuuentam
Qui degit, faciles ſenex regreſſus
Ad puram nequit inuenire uitam.
Siquid noſtra ſapit Minerua, raro
Conſuetudo mali poteſt moueri.

AD VGVCIONEM.

ꝙ celeri fugiat mortalis uita uolatu,
Mors uario interitu quottidiana docet.
Nec quæ ſuccedunt quiſquam conſiderat,oſſa,
Fœtorem,uermes,horribilemq; domum.
Quod præcedit,amat,colit,amplexatur, adorat,
Obq; uoluptates uiuere quiſq; cupit.

Sed tu nempe potes fœlix Vgucio dici,
Semper enim ad tristes prospicis eumenidas.
Subsanant multi,sed ne retraharis,ad astra
Suspice,non alius trames ad illa datur.

AD PICVM.

Si quæ carmina decidunt camenis
Sunt tam scita tuis,quid ad lucernas
Debes cudere Pice seriosas?
O fœlix ego,si nouem sorores
Tam sublime dabunt decus uidere.
Quare cum ualeas uel ante mortem
Paucis me numeris beare, quæso
Dulcem tange lyram,piūq; uotum
Soluam uirginis hostia iuuencæ,
Quin fors tu quoq; cum sacris deinceps
Musis accipies pares honores,
Nam uirtus homines deis adæquat.

AD ALEX.GVARINVM.

Siue tuo numeros in carmine,siue rotundum
Penso sonum,risus,seria,frena,fugas,
Non melius phœbus mediis excogitat undis,
Præpes Alexander quas pede fodit equus.
Vix faciem uestire tuam lanugine cœpit
Floribus undosas cincta iuuenta comas,
Quale decus sperare potest heliconia pubes?
Nempe quod haud ullo tempore cirra tulit.

AD MARCVM.

Ꝙ nostri salibus catullianis

Libri Marce carent, nequis uidere,
Ni gustaueris euchii liquores,
Vtrum displiceant tuo palato
Nescis an placeant, polenta nostrum
Liba,et reiice,lenius repulsa
Post auditam hominem grauat querellam,
Rem tentasse nihil potest nocere.

AD PAMPHILVM.

Si pandit quandoq; animi penetralia nutus,
Te quoq; nostra cupis Pamphile musa canat.
O lepidum nitidumq; caput,tua gloria nota est,
Quos uenus in ludo detinet,alpha senum es.

AD PAVLVZVM.

Non minus humanam deludunt somnia mentem,
q̃ nimius ueneris,gazæ, et honoris amor.
Dei tibi dent, oculi quicquid Pauluze peroptant,
Quod placet hic,longi temporis esse nequit.

AD PAMPHILVM.

Præteriit promissa dies, cur ergo moraris?
Tristia nympharum funera nũquid amas?
Vera fides nunq̃ capit excusantia scripta,
Non uerbis,sed re Pamphile durat amor.

AD EVNDEM.

Longa solet uiduis obitum mora ferre napæis,
Cætera,qua polles,calliditate lege.

AD TRICOELVM.

Si raptim canit huc Tricœle missos
Ac ex tempore barbitum tuarum

Musarũm numeros et occupatum,
Certe, quos helicon queat stupere
Debes edere, diligentiore
Cum scribis calamo, et negotiorum
Immuni, atq; diu magis magisq;
In cirræ bene rupe ponderato,
Fœlix pieridum caterua, siqua
Sors unq̃ tibi tempus ociandi
Ad uersus dabit acrius canendos,
Nostris forte sagax apollo uotis
Obstat, carmine nequid audiamus
Ipsius melius, locũq; perdat
Primum, quisq; etenim sedere semper
In sella cupit eminentiore,
Fer casum leuiter tuum Tricœle,
Contrà numina non datur facultas.

AD VGONEM.

Nescio quo uultus terrore minatur Amynthas
Plurima deliciis opprobriosa tuis.
Vt nihil extimeas, probitas facit Vgo puellæ,
Intrepidum uirtus ignea pectus habet.

AD TITVM.

Scis Tite me quantũ pridem fortuna flagellet,
Atq; hilari uultu me tamen esse uides.
Vnde sit hoc rogitas, semper cœlestia duxi
Munera terrenis anteferenda bonis,
Hæc cito labuntur, stant illa perenniter, id nos
Decipit, hæc quoniam cernimus, illa latent.

AD AMICVM.

Sæuiat aduersus me terra, sit impius æther,
  Tartareiq; latrent in mea damna canes.
Non poterunt nostri resecare ligamen amoris,
  In rebus nodos non habet iste suos.
Non me census, honor, non sors fortuna ligauit,
  Ipsa suo uinxit me mea fune fides.

AD VGVCIONEM.

Vertam oculos, quocũq; uelim, iacet inclyta uirtus,
  Et primas uitium semper habet cathedras.
Inde patent fidei uires Vgucio nostræ,
  Nam facit, ut fatis nil tamen attribuam.
Quid teneam, fortasse petes post busta docebo,
  Viuentis non est hæc schola quippe uiri.
Si tamen exoptas scribi, quod suspicor, id quod
  Tu quoq;, claudendum est omnibus os digitis.

AD VRSVM.

Siqua homines multum decepit opinio, credo
  Vna sit hæc, contra me tuus Vrse furor,
Quot mea seruierit tibi musa fideliter annos,
  Sint modo, nouerunt (ut reor) antipodes.
O quantũ uerũ est, offensa remunerat ingens
  Sæpius ingentem (proh fera corda) fidem.

AD BASSVM.

Vt simul extincta est, subito si admoueris igni,
  Protinus admittit Basse lucerna facem.
Tu quoq; sic celerem rapies in fomite flammam,
  Si fiat lateri proxima Riza tuo.

Nec uolo confidas, q plures uixeris annos
Integer, acre nimis fœmina sulphur habet.

AD FLACCVM.

Miratur, fieriq; putat nunc omnia posse
Vrbs, simulac in me mens mala nota tua est.
Sed nullus me Flacce tenet stupor, it cito nanq;
In uentos, quem sors prospera fecit, amor.

AD CAROLVM.

Sit Pylades pariterq; illi dilectus Orestes.
Carole, nunc Nysus uiuat et Euryalus,
Cumq; suo ueniat fidus Patroclus Achille,
Da mihi cum caro Thesea Pirithoo.
Nullius durabit amor, nam tempore nostro
Quisq; nimis proprias res uehementer amat.
Re minima nunc odit amor, quem patria, et ætas,
Et gradus, et studium, forsan et astra ligant.

AD VRSVM.

Vt similis morum conuictus nectit amicos,
Dissimilis parili separat Vrse modo.
Mutantur mores hominum persæpe, fugit nẽ
Te, meus et Cinnæ est unde solutus amor?

IN SCELESTVM HOMINEM.

Nõ ne times? quotiẽs grauiter deus intonat? ecqd
Securo dormis, aut uigilas animo?
Marmoreum forsan fecit te longa frequensq;
Consuetudo mali, sub styge mollis eris.

AD CINNAM.

Fac capiti hærentem cernas tibi desuper ensem,

Nunquid in ore tuo Cinna cachinnus erit?
Ecce uides in te fulmen fabricasse tonantem,
ꝙ tua multorum dextra cruore madet.
Et tamen haud cessas hilares glomorare choreas:
Et genii cano uertice numen alis.
Quæ tua sit de te sententia, quæro feratur,
Hæc erit interea nostra, senex puer es.

AD ANGELAM SFORZAM.

Vt meritas possem grates tibi Sforza referre,
Musa mihi uires forsitan ipsa daret.
Fœmina sed quoniam linguæ est ignara latinæ,
Ad desiderium non facit ista meum,
Attamen hi quanto durabunt tempore uersus,
(Durabunt uero, donec olympus erit)
Quod potis est mulier uirtutis habere, monebunt
Id tibi pro meritis desuper esse datum.

AD EVNDEM.

Dum gemino corpus cœleste rotabitur axe,
Dum sibimet tellus non graue pondus erit,
Semper ero (detur semper modo uiuere) doni
Et memor et gratus, quo licet ære, tui.
Ipsa lyra est uatum signata pecunia, cui res
Nulla sub ætheriis dicitur æqua plagis.
Hac ego persoluam grates, et erit tibi quantam
Debeo, mercedis gloria longa loco.

AD MARCVM.

Scribis Marce meos nitore uersus
Arguto penitus carere, meq;

Hortaris studeam placere cantu,
Odi carmina bracteata semper.

AD CINNAM.

Vnde meos tollas uersus ad sidera, cum sint
Exigui, optaui noscere cinna diu.
Meq; ita nescio quo mens est affata susurro,
Cinna, tua in plantas surgat auena, cupit.

AD LEONEM SVMMVM PONT.

In laudes Leo magne tuas se tota fatigat
Quæ colit aonii uerticis antra cohors.
Ille genus memorat numerosi stemmatis altum,
Corporis hic dotes concinit, ille animi.
Quid tantis opus est, tibi munera rector olympi
Omnia, quin etiam singula summa dedit.

AD FRANCISCVM.

Quem modo misisti Francisce, remitto libellum,
Laus operis nostrum supprimit ingenium.
Haud dubium est omnes ad plectra iacere poetas,
Cum tua fila lyræ calliopea ferit.

AD AMICVM.

Sit mihi donandi uel maxima quæq; facultas
Quæ tellus gignit sidereusq; globus,
Et tibi dem nouies duplicata uel amplius illa,
Scito tamen uotis esse minora meis.

AD ALPHONSVM GVARINVM.

Pieridas Alphonse meas ad bella lacessas
Nolim, do uictas in tua iura manus.
Nulla tibi uicto de uate corona daretur,

Cuius nec triuiis Therpsicorea placet.

AD AMICVM.

Niteris,ut puram Danaem rear esse puellam.
Fuccus,odorq; sinus nudaq; terga uetant.
Nunquid apud uestam sunt bacchanalia laude
Digna?quis in casta pallade fœda probet?
Nunq̃ ego crediderim,sit pectoris illa pudici,
Quam cupidam monstrant exteriora uiri.

AD PAMPHILVM.

Non curo ad speculum studiose ornare camenas,
Nec procul a laribus quærere uerba meis.
Hæc faciat quicũq; cupit placuisse theatro,
Et populi applausus inde referre domum.
In nostris,uolumus,sit nulla superflua chartis
Dictio,nec minimus Pamphile desit apex.
Plus natiua mouet species,q̃ ficta colore,
Ad modicum hæc durat temporis,illa diu.
Qui uult pacatis præferre undosa,recedat
Ocius a nostris in freta larga uadis.
Sit tamen ille memor sirenum euadere cautes,
Quippe prius mulcent carmine, sine nocent.

AD LAZARVM.

Quale tuum quæris desidero Lazare carmen,
Quæsiti monitor distichon huius erit.
Verborum breuitas,sed rerum fœta,grauisq;
Et facilis doctis est adhibenda modis.

AD EVNDEM.

Nulla tibi rerum est in carmine cura, sed omnis,

Vt reboent grandi uerbula q̃uxꝙ sono.
Non facies, ut sit pretiosa pecunia signo,
Aurea ni fuerit Lazare materies.

AD AMICVM.

Seu uenerem insector, seu mores laudo uenustos,
Seu damno inuidiam, frena ue pono gulæ,
Negligit ut tetricos et tristes turba libellos
Pleraq;, sic etiam uina falerna canis.

AD TITVM.

Esse quid hoc dicam? citharam suspendere templo
Et cupio, et nequeo, quoq; ego nolo, trahor.
Libera certe hominis Tite dicitur esse uoluntas,
Secius esse tamen sæpius experior.
Nescio quid dicam, nisi ꝙ parnassia iuris
Sola sui non est, nec ualet esse cohors.

AD CATONEM.

Si Cato uirtuti proprii debentur honores,
Si sua doctiloquo gloria danda uiro,
Inuenio nusq̃ præconia digna libello,
Quem tuus arguta scripsit Apollo manu.
Seu terrena doces nos, seu cœlestia prodis,
Musarum ignotis eruta sunt adytis.
Nemo illuc potuit descendere, uatibus ex quò
Tradidit excussas pægasus altus aquas.

AD AMICVM.

In tua nescio cur resonantes carmina bombos
Elicias, et ames nil nisi grande sophos.
Dum, tua plus nimio tollant se plectra, laboras,

Codri uersiculis inferiora iacent.

AD ANTONIVM.

Ni mens sit mihi leua delicati es
Antoni stomachi, cibus libelli
Nostri non facit ad tuum molarem,
Qui donat quod habet, fugit reatum
Ingrati simul et uiri tenacis.

AD CAESAREM.

Versiculos decies recitas mihi Cæsar eosdem,
Sæpeq; uis etiam terq; quaterq; legam.
Nec tamen iste satis numerus tibi, sed mihi tanto
Est oneri, ut leuior mors truculenta foret.

AD GVASPARVM.

Si liber hic calamo tibi rusticiore uidetur
Scriptus, et ornati Guaspar habere nihil,
Quid tum? nūquid opus digitis reperire catenam
Ordinis? in tenebris ipsa ne sensa latent?
Ecquid inhærentem lectorem ut uepribus hyrcum
Detinet eloquiis irresolubilibus?
Qui studet illecebris, ualeat fœliciter, odit
Casta theatrales Calliopea manus.

AD PICVM.

Exoptas tibi dem meum libellum,
Expecta, tulerit nouem per annos
Incudem, nisi forsitan subire
Pro me Pice uelis eum laborem.
Non est pagina, quæ tuos lacertos
Non exhorreat, asperos et ictus,

Si non uis mihi, non potes, timori
Quin dones ueniam negare, nanque
Legis non patitur metus ligamen.

AD FRANCISCAM.

Quos flores charites norunt, quos cirra lepores,
Et quos hybla fauos, quasque cythera faces,
In te una posuere suum Francisca sedile.
Vtque magis placeant, crescere semper auent.
Omnibus his danda est sua laus et magna, sed illa
Summa, quod in tantis sis proba deliciis.

AD INVIDVM.

Audis uersiculos meos in astra
Tolli nemine discrepante qui sit
Doctus pieridum, sed unde uultum
In nostræ tibi laudibus thaliæ
Suffusum uideo rubore? nunquam
Liuoris potis est latere tussis.

AD AMICVM.

Tutius ut lateat, quandoque reconditur aurum
In scrobe neglecto, sordiduloque loco,
Asperior si musa tibi pictora uidetur,
Mitte quod exterius, pende quod intus habet.

AD AVLVM.

Misi uersiculos tibi ducentos,
Sed tetrastichon Aule reddidisti,
Errorem rogo corrigas, ferire
Ne cogar tua talione plectra,
Lex trita est ea, par pari ferendum,

AD FANTVLVM.

Versibus orasti multis me Fantule, mittam
  Vt tibi Therpsicores ultima scripta meæ.
Parce, nihil dandum est hosti, nam poscit amicus
  Verbo uno, pcibus pluribus o hstis agit.
Finieram carmen, sed mens uiolata, repulsam
  Horruit, et capias, quod petis, ipsa rogat.

AD BELLAM.

Perbelle thyasos regis uolantes,
  Perbelle in cithara canis loquente,
  Belle pingis acu, rotasq; fusos,
  Per te deniq; cuncta belle aguntur,
  Es perbelle igitur uocata Bella.

AD PICVM.

Ni me fallit amor, me carmine Pice lacessis,
  Vt uidear uates omnibus esse bonus.
Strididulos ne pater Codros dignaret Apollo
  Gymnade pægasei uirgineiq; chori?
Det tibi materias, quantum uelit, ipsa iacentes
  Pieris, arguta tollis in astra lyra.
Det mihi tendentes ad sidera, protinus illas
  Inferius stygiis detraho gurgitibus.
Est ubi par uirtus, non sunt fugienda duella,
  Sed contra, utilius porrigit arma minor.
At magis ut niteas, tibi respondebo uicissim,
  Plus ita cornici proximus albet holor.

AD GERMANICVM.

Quid tuus atq; meus pariter Germanice crassus

Rerum agat ad minimum noscere iota cupis.
Cuncta canam paucis, id nunq̃ euoluere saxum
Desinit, ut quo quo plena sit arca modo.
Nescio tam leuiter si mus nucis intima rodit,
q̃ noster sorex huius et huius opes,

AD AMICVM.

Quod primam in nostro producit carmine sorex,
Versiculi falsi me canis esse reum.
Ignauum est animal, latitatq; libenter in antris,
Atq; ideo tardum debet habere pedem.
Siqua tibi est melior ratio, dic obsecro, semper
Quod plus iuris habet, debet amice capi.

AD MARCVM.

Cum quis uult lepores pariter comprẽdere binos,
Sæpius e manibus liber uterq; fugit,
Virtutem amplecti cupis, et simul ocia quæris,
Crede mihi, rumpent utraq; Marce plagas.

AD EVNDEM.

Si calor et glacies, uel siccus et humidus una
Esse queunt, si nix cum pice fœdus habet,
Ocia uirtuti sic hærent, ista labores
Exigit, ast umbras illa leuesq; thoros,
Si finem aspicias, ut nos secordia dignos
Probro, sedulitas nos ita laude facit.

AD EVRVM.

Nescio quod nostras murmur peruenit ad aures,
(Raro etenim linguæ dira flagella latent)
Esse meos lapidum plenos ais eure libellos,

Vlla ne quæso tuo sanguine charta madet?
O me infœlicem, cædis reus ergo citabor,
Iudicium de me cùm rhadamanthus aget.
Dum datur, admissum scelus expurgabo, deinceps
Mella, rosas, uiolas, lilia, thura canam.

AD ALEX. GVARINVM.

Sic tua Alexander depinxit epistola uiuo
Péniculo mentis singula quæq; meæ.
Vt mea fortassis melius non intima cernam,
Cedat apelleus parrasiusq; color,
Quod foris est, facile est effingere, quod latet intus
Subiecisse oculis hoc opus, hic labor est.

AD PAMPHILVM.

Quod mecum taceas, tempus causaris iniquum,
Et loca longinquæ Pamphile dura uiæ.
Heu quantum musis sed forsitan inscius affers
Dedecus, heu quali numina labe notas.
Subiacet an uatum deus infœlicibus astris?
Num silet ob tristes calliopea dies?
An potis est claudi uel toto pallas ab orbe?
Doctus cœtus habet, quæ sibi iura facit.

AD VGVCIONEM CONTRARIVM.

Gaza placet multis, et multis inclyta uirtus,
Nam sua Contrari quemq; libido trahit.
Elige quod mauis, sed fac præsentia nolis
Cernere, quippe darent in graue rete pedes.

AD AMICVM.

Nescio quæ mala sors uero insidiatur amori,

Innũmeros hostes fidus amicus habet.
Trita equidem uera est in me sententia, uirtus
Ocia non potis est deliciosa pati,
Virtus cana fides summa est, contraria in isto
Gymnade terra mihi est, sidereusq; globus.
Vtq; alios taceam, qui nos offendere semper
Omnibus inquirunt artibus, inuidia est.

AD CERVVM.

Vnde pater nomen dederit tibi Cerui, uideto,
Si bene calliope uaticinata fuit.
Vel bonus es pedibus, uel te metus occupat, aut sũt
Cornua, ridiculus qualia rumor ait.
Vltima si fuerint non falsa oracula, noli
Flere, quod est multis crimen, habet ueniam.

AD AMICVM.

Credere quod nequeo (sunt quippe tenacia phœbi
Vincula) te referunt bellica castra sequi.
Si tibi militiæ est mens explorare labores,
Do ueniam, facinus transfuga fune lues.

AD FRANCISCVM PICVM.

Tanta tibi in uersu est maiestas, is nitor, atq;
Vis ea, ut aonidas prouocet ille deas.
Sensa trahunt, quocũq; uolunt, operosa legentẽm,
Ipsaq; uerba suum singula pondus habent.
Quod prius est, sũmũ est, sempq; sequẽtia crescũt,
Sidereos tales arbitror esse gradus.
Fortunata cohors nostri parnassia sæcli,
Quæ sit tam rara nobilitata lyra.

Fœlix tam docto Mirandula principe,fœlix
Pica domus,decus hoc cui genuisse datum est,
Quo maius nec graia tulit nec lingua latina,
Forsitan et nunq̃ sæcla futura ferent,
Nanq; quod est summū,nisi tu superaueris,ecquid
Id Francisce potest exuperare alius?

AD AMICVM.

Liuor edax semper dissoluere quærit amantes,
Inq; hoc præcunctis sedulus inuigilat.
Hic decus,hic lucrum summū putat esse.sed iste
Fac nihil in nostra possit amicitia.
Consulet et si quis contra,uincloq; fideli
Detrahet,ut dicunt,hic eat inzephyros.

AD TRICOELVM.

Nescio quæ circum uox fertur publica nasci
Vatem,cur ita sit,fama uelim doceat.
Me uiridi ut credo largitus apollo corona est,
Sed post gymnasii tempora longa mei.
Sæpe sitim, persæpe famem,graue frigus,et æstus,
Sæpe tuli natibus lora,manu ferulas,
Mercurii innumeras nūq̃ ictus arundine noctes
Traduxi,curæ deniq; fine carent,
Vtrum igitur me iure queat conuincere rumor
Hæreo,tu contra dic rogo,siquid habes
Sed nisi decipior,uult plebs ignara Tricœli
Garrire arbitrii,quod placet,esse sui.

AD ANNIBALEM.

Si te diligo,certus esse uelles,

Nobis Annibal impera, periclo
Facto, quod cupis, optime uidebis.

AD FRAN. PICVM.

Dum legerem Francisce tuæ ꝑludia musæ,
Nil fuit, impubem quod saperet iuuenem.
Quin, ut qui certant cithara, cantu ue, uicissim
Nititur usq; sibi præmia quisq; dari.
Sic prima in pulchro donari gymnade lauru
Conantur libri singula uerba tui.
Vtq; breui cunctas complectar carmine laudes,
Præsefert uatem resq;, canorq; suum.

AD PHILENVM.

Si me carminibus tuis Philene
Dignum duxeris, ut diu peropto,
Me deuinxeris ærea catena,
Quali nec pylades fuit ligatus
Nec nysus, nec amor tenaciorem
Cudit nec similem, thalia nunq̃
Soluendis laqueis ligat poetas.

AD TVCCAM.

Cum meus in nullo correctus Tucca libellus
Ad proprii fuerit tecta remissus heri,
Nunquid id indicio est, sic te effugisse laborem
Qui nimius crebra falce futurus erat?

AD GALLIAE POPVLOS.

Tam magnæ liber æstimationis
Inter uos meus est, ut illa uincat
Omnes pieridum lyras sororum,

Excedatq; etiam sui poetæ
Votum, quas potis est Apollo grates
Persoluit meus omnibus, rogatq;
Vt sit gallia gentium corona,
Et quicquid uelit, audiat precantem
Cunctorum dator auribus benignis,
Maiores nequeo referre grates.

AD IVLIAM.

Iulia me tenuit, grates persoluere dignas
Non opis est nostræ, Iulia me tenuit,
Iulia me tenuit, carūq; uocauit amicum,
Liuor edax dentes in sua claustra uoca.

AD AMICVM.

Te delectari scribis mihi cælibe uita,
Laudo, sed in laribus quid facit Anna tuis?
Proximus illæsas nūquid seruabit aristas
Ignis? an in medio sicca erit alga mari?
Nec uolo prætendas senium mihi, flāma diones
Fors et in extincto corpore sæpe uiget.

AD PONTREMOLVM.

Ingredere optatū tandem Pontremole callem,
Nec sine te ulterius crastina lux teneat,
Quippe ita diffugiunt menses, labuntur et anni,
Et tacito serpit cana senecta pede,
Mors subit, et stygias ferimur sine nomine ad ūbras
Frustratur multis nos mora longa bonis.

AD ANGELAM.

Si mihi certa fides esset describere posse

Pectoris affectus in tua uota mei,
Aggrederer constanter opus, teneoq́, q illud
Ignea pieridum ferret in astra chorus.
Forsan et hoc nullum,uel phœbo iudice,haberet
Dignius in fastis calliopea suis.
Quod nequeo pondus portare,salubrius ipsum
Misero post geminos Angela uersiculos,
Quæ mea sunt,proprii ni duxeris omnia census,
Ceu ualida læsus cuspide flebit amor.

AD PANPHILVM.

Esse tibi nequeo qualis lysippus apelli,
Nostra etenim nimis est calliopea rudis.
Vt mihi apelleam præstes tamen obsecro curam
In castigandis Pamphile carminibus,
Fac redeant ignota domum, sed uulnere nullo
Cæde,sed et plagas pelias hasta leuet.

AD LEONEM .S.PONT.

Quod rarum in ꝑtio est,sic unio pluris habetur,
Quanti igitur uirtus o Leo magne tua est?
Non si callaico detur quod scalpitur antro
Quodq́ tagi uehitur gurgite,posset emi.
Quin quo plus dederint,plus illa merebit, utquæ
Vincere se studeat iugiter et faciat.
Inq́ dies, quod iam summū est,plus surgit in altū,
Mira cano, sed quis tam manifesta neget?

AD BAPTISTAM.

Non ex difficili nobis peccata remittit
Omnipotens,cum nos pœnituisse uidet.

Id tamen assiduum Baptista tenaciter hæret,
Cum bona quis tacita fraude aliena tenet,
Cur tamen his noster miraris obaudiat Vrsus,
Vxoris cultus formaq; causa mali est.

AD ALEX. GVARINVM.

Cur ego tam crebro mittam tibi carmina quæris?
Reddantur cupio maxima pro minimis.
Vsuram faciat, primus qui scripsit, honestũ est,
Ergo tua expecto carmina digna lyra.

AD CAESAREM ARAG.

Deis ago perpetuas princeps celeberrime grates,
Nãq; quod optaui nocte dieq; datum est.
Scilicet ut nostro te dignareris amore,
Pictorisq; humili carmine therpsicores.
Quæ licet exiguis assueta sit hactenus undis,
Auspiciis dabitur per freta nare tuis.
Iam parat Euterpe antemnas, Polymnia remos,
Velaq; funiculis Calliopea ligat.
Quippe tuo gaudent uati seruire, studentq;
Nostra per ignotas nauiget alnus aquas.
Interea, donec ratis armamenta parantur,
Fac in me nũquam crescere cesset amor.
Nam, quo maior erit, grauiore poemate scribet
Sanguinis annales noster apollo tui.

AD ALEX. GVARINVM.

En quod Alexander cupiebas, mitto poema,
Inuitum quãuis carpserit istud iter.
Nam, quæ musa precor (q̃uis et apollinis esset)

Intrepido ueniat ſub tua tecta pede?
Fama nocet crebro propriis improuida amicis,
Dum nimis hos grandi tollit in aſtra ſono.
Non equidē in modulis urget præſentia turni,
In grege pierio qui latet, ille ſapit.

AD PICVM.

Non opus eſt, inſtes epigrāmata noſtra uidere,
Pice meduſei gloria prima chori.
Quis rogo terſitem laudarit? ſi uelit eſſe
In circo potius, q̄ latuiſſe domi?
Pone modum precibus, fecit me fabula cautum,
Ridiculus fieri mus ego nolo pati.

AD MARINVM.

O q̄ ſæpe facit Marine rerum
Nos occaſio negligentiores,
Nam dum credimus hanc diu moratum
Iri differimus, ſed illa damno
Cum noſtro fugit, et manu relinquit
Nos ipſos uacua, ſinuq; inani.
Annis te cupii uidere multis,
Huc te neſcio quæ tulit procella,
Dum paulum moror expedire curans
Res paucas prius, eſt mihi relatus
(Quod ualde dolui) tuus receſſus,
Erroris meritas luet papyrus
Pœnas miſſa polo niues minante,
Sed forſan tibi crimen imputabit,
Fugiſti quoniam lares puſillos.

AD PETRVM.

Ad tua Petre uocor conuiuia, nolo uenire,
Lancibus atq; cadis uiuere turpe puto.

AD GREGORIVM GIRALDVM.

Indicturus eram cinctu tibi bella sabino,
Et bona captabam sedulus auspicia,
Ecce superuenit tua littera, cuius ab ictu
Perculsus cecidi carminis ante pedes.
Teq; palam et liquido noui, quod fama canebat,
Parnassi extremas transiluisse uias.

AD LAZARVM.

De me conquereris, tenui q arūdine tollam
Lazare pieridas celsa sub astra tuas.
Quid refert, paruo an magno sup æthera curru,
Vel manno, uel equo quadrupedante uehi?
Altius at uelles forte ire (superbia nāq;
Appetit et magnis imperitare deis)
Parce, locum ignoro, nostris ostende camenis,
Meq; neca, nisi te, quo cupis, extulero.

AD GALBINVM.

Quid de te dicam ignoro, fastidia nāq;
Sermo, oculus, gustus, non tibi parua mouent.
Haud equidem imerito es galbini nomen adeptus.
Nam qualem faciunt galbana, mollis homo es.

AD PAVLVM.

Paule tuæ Marius quærit cōnubia natæ,
Se pariter quærant iungere gryphes equis.
Paule uide, quid agas, nāq; imprudentia sūma est,

Muccoſo nubat culta puella ſeni.

AD TVCCAM.

Cēmifer aurato fac gurgite currat hydaſpes,
Fluctibus et rutilis per tua rura tagus,
Extinctum ne putas iri,qua totus inardes
Tucca ſitim?an ſemper tantalus alter eris?

AD SCIPIONEM.

Plurima promittis nobis,cum fœnore nūquid?
An gratis?ſoluas hoc mihi quæro prius.
Si gratis,refero quas poſſum Scipio grates,
Si propter fœnus uis dare, poſco nihil.

AD MARIANVM.

Me ualde affligi Mariane grauedine noſtri,
Non facio ad modulos uoce nec aure tuos.
At forſan dices,tacito lege corde, uetamur,
Aſſiduis ſtillant lacrymulis oculi.
Quod poſſum (nec erit forſan minus utile) clauſos
Seruabit ualida bibliotheca ſera.

AD PETRVM.

Quem mihi limandum miſiſti Petre libellum,
Per famulum nulla labe remitto tuum.
Ocia non dantur ſtudio,tamen omnia legi,
Iudicioq; domi ſunt retinenda meo.
Si tamen edideris librum tibi ſupplico, cura
Hunc ſciat in noſtro nemo fuiſſe lare.
Si cauſam quæris,nolo aſcribantur honores
Alterius nobis,præcipueq; tui.
Eſſe reum gazæ alterius, laudis ue,nefanda

Res nimis est, nec habet par sibi flagitium.

AD PHILIPPVM.

Num tanti gabatas cadosq; reris
Me pensare tuos, uelim ut relictis
Musis ad nitidas uenire mensas?
Sit fœlix genius tuus Philippe
Fœlices quoq; sint meæ camenæ,
Tu nobis nihil, et nihil tibi nos
(Sic deis gratia detur) inuidemus.

AD SCIPIONEM.

Miratus persæpe fui, tibi Scipio quare
Tanta foret libros cernere cura nouos.
Ast ubi sunt nobis tua carmina tradita miris
Culta modis, astus nouimus ingenii.
Insidiatori par nulla nec ulla latroni
Pœna datur, posset nec tibi nempe dari.

AD CVRSIVM.

Curre cito Cursi quantum lubet, ocius euro,
Nec superent pennas fulmina magna tuas,
Haud nostras capies libethridas, Icarus ala
Quippe tuus nostro non meliore uolat.

AD AMICVM.

Quæris cur mea pieris refutet
Lances, et cyathos, paropsidesq;
Magnorum procerum, timet referre
Tergum canabe tortili ostreatum,
Aut qs stercore turpe, nam (quod aiunt)
Postq̃ altaria subleuare fumos

Cœperunt, iocus omnis in poetas
Finitur neq; uoce, sed flagello,
In nullo est adeo fauore uirtus.

AD VGVCIONEM.

O nostri nimium sors pessima temporis, o nos
Infortunatis sideribus geniti,
Quis nisi cum lacrymis et quæstibus audiat istud?
Non habitat uirtus in locuplete domo.
Quin si surrepat, uel tanq̃ serua tenetur
Improba, uel subito cogitur ire foras.
Si petis unde sciam hoc Vgucio? miror, at edam,
Sum crebro expertus, semper et experior.

AD LEONELLVM.

Qualem te rear esse postulasti
Inter pierios uiros, uideris
Nobis o Leonelle qualis echo,
Nil unq̃ nisi prouocatus audes
Fari, semper et ore mutilato,
Primas in genere hoc habes loquendi
Si quid nostra sapit Minerua partes.

AD PAMPHILVM.

Vera canam, summo cirrex in uertice rupis
Pamphile non multis ante diebus eram.
Mussabāq;, tuas qua sede reponere musas
Deberem, cedens pone ibi phœbus ait.
Concessitq; tibi primos heliconis honores,
Pierides ualeant, tu mihi quæso faue.

AD PHILENVM.

Perplexis adeo Philene uerbis
Componis lyricos, ut explicari
Totis unguibus œdipi nequirent,
Si me non male phœbus et sorores
Argutæ docuere, debet esse
Clarum carminis hoc genus, scabrosq;
Euitare locos. dabis loquenti
Quod sentit ueniam, tibiq; cedam
Quicquid censueris magis tenendum,
Nunc cedat iuueni senex oportet.

AD TITVM.

Vt tuus a nostris carmen Tite apollo camenis
E liciat, nobis crebra tabella datur,
Non facies unquam (cithara licet omnia possis)
Respondere tibi nostra thalia uelit.
Quippe rudis nimium est, pluteiq; ignara recisi,
Demorsi contra tu nimis unguis habes,
Sũme meã, ut dicunt, uestem, cũ uate ne summo
Infimus audebis conseruisse manus?

AD AMICVM.

Quo magis et longam et grandem cõsidero mecũ
In Cherilum nostram dulcis amice fidem,
Hoc maior fibras animi stupor occupat omnes,
Vnde adeo ingratas inferat ille uices.
Id tamen esse potest in causa forte, q̃ illi
In faciem semper uera loqui uolui.

AD LINVM.

Tu quoq; me, ueluti recitat tua musa, fateris
Dura pati, uolui q; Line uera loqui.
Pœniteatq; rei nunquid me scire peroptas,
Non, quia quod uerum est præfero uel superis.

AD SIGISMVNDVM.

Ni fallor, quæres quid uelit iste libellus
Sigismunde sui sis memor orat heri,
Restituiq; meum facias mihi poscit agellum
Summus apex legum es, ius tueare, decet,

IN FLACCVM.

Quid tibi purpurea cum pyxide? forma uirilis
Sese uirtutum murice Flacce colit.
At nisi decipior, te decipit uxor, amorq;
Mancipium thalami te facit esse tui.

AD PICVM.

Cur cito uersiculos edam mirantur, et annos
Pice mihi nonus sæpius obiicitur.
Cum mihi nil fidam, multorum qualis apelles
Quærito in exposito carmine iudicia.
Siqua probat lector, uirtus laudata ministrat
Vires, si damnat, corrigo, utrũq; iuuat.
Adde, qd intererit nostra laus posthuma? qd nũc
Virgilio prosunt pascua, rura, duces?

AD TVCCAM.

Tucca meos dicis libros non esse legendos,
q; faciles nimium uersiculos habebant.
Dic rogito, clarus si Persius omnibus esset,

Is ne minore tibi dignus honore foret?
Non laudo uatem, qui phœbados indiget antro,
Crede mihi, nescit sæpius illa loqui.

IN TVCCAM.

Ad quartum fueram lapidem digressus ab urbe,
Obuius in triuio cum mihi Tucca fuit.
Versiculosq; suos nobis recitare uolebat,
Tucca tace dixi, ne triuiale canas.
Noluit, o quantum laudis uæsana libido
Robur habet, cecinit, q puer esset amor.

AD AMICVM.

Larissam siquis tibi dixerit ire, manebis
In dubio, quorsum tendere lina uelit.
Haud aliter nobis nunq̃ tua carmina monstrant
Vnde abeant, ubi sint, quo ue feratur iter.
Ambiguus lector semper retinetur, et istud
Scribendi laudat turba diserta genus?

AD VGONEM.

Vnde tot in miserum nobis epigrãmata casum
Sufficiat phœbus, te stupor Vgo tenet.
Tantus is est, omnes ut si quererentur holores
Perpetuo mecum tempore, nil facerent,
Materies siquidem semper plus cresceret illis,
Vulnere in immenso fine carent lacrymæ.

AD AMICVM.

Duro sæuit hyems gelu niuosa,
Large ligna super foco repone,
Astro syrius ardet æstuoso,

Auram quære lenem, sede sub umbra,
Succumbunt oculi sopore, dormi,
Affligit sitis, et fames lacessit,
Te uino recrea, foueq; pane,
Debetur sua res necessitati,
Quod si tu secus arbitraris, ut qui
Viuas strictius, osculor coloq;,
Et quod non imiter, quæror gemoq;,
Omnes omnia ferre non ualemus.

AD GVIDONEM.

Nil uitio ingrati dicunt deformius omnes
Esse, sed id pauci (proh dolor) effugiunt.
Siue uelis nolis ue, nequit te Guido latere
Vt meus es multis debitor officiis.
Te tamen in nodos circei more colubri
Vertis, ut addictus non uideare mihi.
Atq; utinam cessent morsus, sedeantq; uenena,
Pestiferum est odium, quod uenit ex meritis.

AD EVNDEM.

Obsequiis precibusq; fui compluribus usus,
Mutuus ut nobis te religaret amor.
Nulla unq̄ morbo est medicina reperta tenaci,
Haud facile eruitur, quod uetus est, odium.

AD FLACCVM.

Innumeros longo cumulasti tempore numos,
Emisti culti iugera mille soli.
Struxisti ruri magnos et in urbe penates,
Nauigat et pelagus mercibus omne tuis.

Insere Flacce piros et in ordine digere uites,
Si non fortunæ uis, ea mors rapiet.

AD NEVOLVM.

Qualiter eoo scrutantur in æquore gemas,
Purpureiq; uadis aurea grana tagi.
Sic tu gloriolas captas, et dicier hic est
In summis uotis Neuole semper habes.
Læto animo et tuto iubeo sis pectore, saltem
Ostendi medio dignus eris digito.

AD AMICVM.

Nolo meos recites uersus, sorderet in ore
Quippe tuo docti grande maronis opus.
Sat tibi sit tacito tecum legisse susurro,
Vel potius sola mente, uel igne crema,

AD TITVM.

Audisti nostros Mario recitante libellos,
Vtq; refers, multum non sapit ista seges.
Magna dari uel parua potest Tite gratia musis
Lectoris uario scilicet arbitrio.
Si quicq̃ ueri diuulgat rumor, in omnes
Ille graui uates carpitur inuidia.

IN CINNAM.

Qualis in agnorum sectarius agmine ueruex;
Talis apollinei est in grege Cinna chori.
Nãq; nihil sacro quãuis in carmine possit,
Attamen in doctis uult prior esse uiris.
Tempora sic fieri mandant præsentia, quando
Segnicies magnis imperat ingeniis.

AD SAXVM.

Est ne ita, Matthias ut nobis rettulit? heu quis.
Talia circeo carmine composuit?
Te finxisse rear, nisi quis fuit ille malorum
Tantorum inuentor dixeris, o facinus.
O facinus, redeat superas polyphemus in auras,
Audebit ne tua tingere cæde manum?
q̃ modica in nobis spes, et fiducia parua
Est tibi? q̃ minimi noster habetur amor?
Grandis amicitiæ facta est iniuria nostræ,
Protinus in madidos defluat illa notos.
Saxe redi securo animo sub pignore uitæ,
Quanta mea est, uenies gratus hero et dominæ?

AD ALBERTVM SAVONAROLAM.

Vera canis foliisq; sacris mandanda sibyllæ,
Quæq; deauratis scribat apollo notis.
Quin ea (dent superi fieri modo posse) putarim
Figenda æthereis qualiter astra globis.
Nunc hominis ratio nusq̃ ulla fidelis habetur,
Blandiri quisquis nouerit, ille placet.
Viuitur ex uotis, dominatur sola libido,
Sic uolo sic iubeo regulus omnis ait.
Miror ut in foribus nondum scribatur et illud,
Quod libitum fuerit, uim rationis habet.
Quod monet extremo, faciam, tua pagina uersu,
Cura erit haud homini sed placuisse deo.

AD SAXVM.

Proh hominũ diuũq; fidem, quid sentio Saxe?

Saxe decus nostræ deliciūq; domus.
Quis rogo suspectas nostras tibi reddidit ædes?
Quis potuit tantum fingere corde nefas?
Dei sæuite lares, hæc uestra potissima causa est,
Numinis infidi uos facit iste reos.
Pro nobis præstate uades, promittite quotquot
Sub uestra et quantas res uolet ipse fide.
Efficite, ut redeat, sic longum is uiuat in æuum,
Vestraq; continuis luceat ara focis.

IN PHILENVM.

Quid rerum faciat Philenus optas
Per nostras tibi litteras referri,
Vtrum pieriis uacet camenis,
Ecquid res procerum stilo soluto
Describat, bene cogitare nūquam
Damnarim, tamen et loqui necesse
Quod uerum est, cyathos tuus Philenus
Sorbillans genium fouet colitq;,
Sic forsan parat entheum furorem,
Vires ingenii facit lyæus.

AD PICVM.

Pice meam crebro tua carmine musa thaliam
Prouocat, athletas iungit arena pares.
An pugnasse simul tersitem atq; hectora dicunt?
Cūq; tuba rixam fistula nūquid habet?
Ni Maro uel magnus uitæ reuocetur Homerus,
Ocia cum lituis desidiosus ages.
Si tamen in campum mens est exire, duello

Cum teipso certans te superare stude.
Non placet hoc,discant meliora poemata musæ,
Tunc poterunt Pico forsitan esse pares.

AD LAVRAM.

Ne mihi grata parum sis Laura,timere uideris,
Me ne putas mores dedidicisse meos?
Continue castas dilexi ex corde puellas,
Iuuimus et tota,quæ data,semper ope.
Vellet amor,tecum uersarer, at ipsa malorum
Interpres prohibet,quæ uiget,improbitas.
Sis fœlix,et prima tui sit cura pudoris,
Certa dehinc uolo sis,te patris instar amo.
Mente hæres, dubias res experientia tollit,
Laura iube.si non fecero,falsus ero.

AD SILIBENNVM.

Nullus,ab occiduo qui leges norit ad ortum
Te melius, toto forsan in orbe fuit.
Pollicitis scis ergo suis quẽcũq; teneri,
Et contra nullo dicere posse modo.
Quid fratri multis promiseris ante diebus
Sis memor,et duras te rogo tolle moras.
Qui precibus multis insistit,lædit amicum,
Sed grauius, longas quisquis eas patitur.
Vt tantum fugiam crimen Salibenne tacebo,
Tu quoq;,ne subeas maius, adesse uelis.

AD ALEX.GVARINVM.

Censores experta fuit mea pagina multos,
Quos sacer aonidum nobilitauit honor.

Quem conferre tamen possim tibi iure, repertus
Nullus ab unguiculis mollibus ad senium.
Nota sit ut tantæ nostro uis carmine limæ,
Hoc iubeo ad cunctas distichon ire plagas.
Solus Alexander sophiæ noua fama Guarinæ
In sirpi nodos uimine sæpe uidet.

AD RIZARDAM.

Fœmineus Rizarda decor uiolentior igne est.
Præsertim morum cui bonus hæret odor.
Sūmus utrūq; tibi rerum dedit arbiter, unde
Qui te ardet, turpi suspicione uacat.

IN HYMNORVM OPVSCVLVM EXCVSATIO.

Nè quis in hoc credat me dormitasse libello,
Siue heliconiadas ludificasse deas.
Christicolam duxi uatem non esse notandum,
Siqua sacræ ritu scriberet historiæ.
Pagina nos igitur diuina tuebitur, istinc
Liuor abi, sanctis rebus obesse nequis.

DISTICHON.

Si famulor quandoq; sacris auctoribus, haud me
Despice, Christicolæ sum labor artificis.

AD PAVLINVM.

Te moneo crebro, fugias cōmercia Rizæ,
Semper at imbreferis das mea uerba notis.
Diuinum sacris scis uatibus esse furorem,
Riza breui fiet uipera, ni caueas.
ꝙ si te pariet Pauline superstite, proles

Sæuiet in proprium pro genitrice patrem.
Si causam quæris, mites proserpina fœtus
Non facit infernas inter adulta feras.
Hoc etiam rides?non miror. nãq; cerebro
Euacuat nostrum fœda libido caput.

AD ALEX. GVARINVM.

Sæpe, sit unde sacri tam magna Guarine maronis
Gloria, mirari me tua lima facit.
Pace loquar phœbi, qui stagna dedisse uidetur
Illi pægasei tota bibenda lacus.
Si censore forent te pascua, rura, ducesq;
Vsi, maior eis forsitã esset honor.

AD LEONEM SVMMVM PONT.

I mea in elysium fœlici pieris ausu,
Inq; loca admitti nobiliora pete.
Quæq; tibi cunctis præstare uidebitur umbrã,
Talia sis illi uerba referre memor.
Salue olim ausoniæ columen memorabile, saluẽ
Laurenti medices splendor honorq; domus.
Quanta pater sensit nullus, tibi nuntio magna
Gaudia, sidereis gaudia digna choris.
Nã Leo nũc supero proles tua primus in orbe est,
Cũq; dei annexum numine numen. habet.
Sed dices istud multis cõmune fuisse,
Non nego, tam iuuenis q̃ Leo nemo fuit.
Iugiter excedens annos uirtutibus unus
Præuenit summi culmina celsa gradus.

AD VGONEM.

Par Vgo studium, par ætas nempe merentur,
Nulla citis dentur uota ferenda notis.
Quem tibi cõmendat præsentibus Angela cæris,
Est mihi phocea iunctus amicitia.
Fac precor obtineat, quod poscit. longior esse
Nolo, satis nutus sunt, ubi uerus amor.

AD MARIANVM.

Conaris, tenear Mariane uir improbus esse,
Et rabido famæ detrahis ore meæ.
Niteris in cassum, ceu qui uacuare profundum
Cogitat, aut celeres sistere solis equos.
Mille in me fuerint si crimina, nunq̃ ea tantum
Ferre tua poteris calliditate palam.
Quantum ego cautus ero celata tenere, salis te
Plus edi, et stipulas dissipat aura leues,
Plus etiam boreas, propria (mihi crede) retorta
Miles inexpertus cuspide sæpe cadit.

AD ALEXANDRVM GVARINVM.

Lima tui, donec uixit, studiosa parentis
Correxit nostræ carmina cuncta lyræ.
Vtq; palam et certa nosci ratione dabatur,
Acribus haud poterat dentibus esse magis.
Sed tua Alexander censura profundius intrat,
Ignotũq; aperit uatibus ante chaos.
Magnus amor patris, genitor tuus (ut reor) illuc
Laureolæ causa noluit ire tuæ.

EPITAPHIVM CLARAE GVARINAE.

Istic Clara iacet Baptistæ gnata Guarini,
Non alia poterat clarior esse face.
Nãq; licet multis niteat uirtutibus ex se,
Attamen est summe nomine clara patris.

AD BOIARDVM.

Expertus Boiarde fui uerum esse,quod aiunt,
Mutentur mores,efficit altus honor.
Nam mihi qui fuerat pylades in paupere censu
Scipio,post partas est inimicus opes.
Quodq; nimis durum est et detestabile,uitæ
Denigrare studet candida facta meæ.
Vincere sed didici, nam quo magis ipse latrabit,
Mitius hoc hominis de feritate loquar.

EPITAPHIVM ALBERTI
ESTENSIS.

Alberti hic cineres Estensis claudimũr, in quẽm
Iniecit timidas mors gemebunda manus.
Nam fore se cunctis odio mortalibus uno
Noscebat cari principis interitu.
Completo parcæ naturæ lege coactæ
Stamine fatalem deposuere colum.
Quod superest umbræ præstãdũ, quisquis habebit
Hac iter,eternus sit tibi dicat honor.

AD LEONEM SVMMVM
PONTIFICEM.

Multa mihi de te patria prædixit in urbe
Angelus aonidum Pollicianus honor.

Resq; alias inter grandes fuit hæc quoq;, sed non
Vt maior, summũ te fore pontificem.
Ergo nescio quid, quod eat fastigia supra
Omnia, uenturum cernimus esse breui.
Quicquid erit, sit quanta uelit Leo gloria rerum,
Omnino meritis non erit æqua tuis.

AD ALEX. GVAR.

Inuitas crebris me docte Guarine tabellis
Ad testudineæ plectra canora lyræ.
Ingenue dicam, timeo, cui linea nanq;
Torta parum est, minimum iota repente uides.
Quodq; magis mirum est indiuisibile punctum
Errorum plenum cum ratione doces.

AD ALBERTVM PIVM.

Seruet ut illæsum, quo te complector, amorem,
Nil canit in laudes nostra camena tuas.
Nam licet et sacras hauriret funditus undas,
Hic tamen aridulis obstreperet calamis.
Summa fides summis est demonstranda periclis.
Non amphioniæ garrulitate lyræ.
Nauita in oceano, milesq; probatur in armis,
Inq; uaporiferis aurea massa focis.
Magna scio tractas Alberte negotia, ad illa
Fac uocer, et damna me, nisi primus ero.

AD AMICVM.

Qua possim ratione mei tibi pondus amoris
Pandere, sollicita cogito mente diu.
Pluraq; continue et maiora emergere cerno,

Ceu solis radios exoriente die.
Interea, donec rerum ipsum inuenero fundum,
Te scito in medio corde sedere meo.

AD AMICVM.

A teneris una uitam traduximus annis,
Nullaq; de nobis iusta querela fuit.
Nescio qua aduersante tamen nunc sorte, uideris
Haud ullo in pretio nomen habere meum.
Seu facio, dico ue aliquid, succenderis ira,
Qualiter inferno mens agitata ioue.
Pace loquar, nostin, quid uult sibi talis erinnys?
Crede seni, hæc epulis indiget hellebori.

DE FRATRE DEFVNCTO.

Transfer in elysium celeri te musa uolatu,
Quæreq; germanum prata per ampla meum.
Nomen Ioannes nulli pietate secundus,
Et cui sunt pauci relligione pares.
Vtq; umbram inuenias citius, fer carmen apertum,
Cernere signa meæ possit ut illa manus.
Nãq; ita noscendam subito se proferet, atq;
Curret in amplexus protinus ipsa tuos.
Tunc petito siquid possum, quia nil magis opto,
q̃ meritis aliqua parte referre uices.

DISTICHON.

Dic rogo, quid uitæ præfers? cor nempe fidele,
Quippe mori malo, q̃ uiolare fidem.

DISTICHON.

Cedat Pirithous, Nysus, Patroclus, Orestes,

Siqua fides summà est (credite) summa mea est.

PENTAMETRON.

Vnica spes uitæ est anchora firma meæ.

AD AMICVM.

Si bene puberibus libros quos edidit annis
Nostra sub aonio colle thalia leges;
De te equidem inuenies nos prædixisse puello
Plurima, quæ falsam non habuere fidem.
Gratulor ambobus, primum mihi uera locuto,
Dehinc tibi, cui totis uiribus astra fauent.

AD LEONEM MED. X.
SVMMVM PONT.

Astra suis affixa locis Leo magne tenentur,
Inq; suo tellus, oceanusq; suo.
Sacra ita sunt propria seruanda uolumina sede.
Atq; ea clauigeri bibliotheca Petri est.
Cuius agis quoniam munus (rogo siquis inanis
Angulus est) illic hos quoq; pone libros.
Sunt tenues inquis; fateor, sed iuncta pusillis
Maxima plus equidem sæpe decoris habent.
Omnia sint una mensura pulchra, mouebunt
Tœdia, quod uarium est, mentem oculosq; iuuat.

AD GERMANICVM.

Lis tibi (quod certe doleo) cum cæsare pridem est,
Expensasq; nequis iam tolerare graues,
Si mihi parueris, cedes Germanice causæ,
Aurea grande nimis dona iuuamen habent.

AD PICVM.

Si responsa tuæ renuo dare longa thaliæ,
Parce, nimis celsum nempe ea carpsit iter.
Lude humili cithara, dimitte recondita cantus,
Fare, quod humano subiacet ingenio.
Astrifero, quicquid loqueris, descendit ab axe,
Immo dei e medio pectore. Pice uale.

AD ALEXANDRVM
GVARINVM.

Cum datur a curis animum reuocare Guarine,
Ad placidæ fugio plectra canora lyræ.
Quos hodie uersus lusi, tibi mitto, bilance
Cui nullam similem nouimus esse, libra.
Si leue pondus erit, quæso superadde senectam,
Efficiet lancem forsitan illa grauem.
Non minus hæc ueniam puerili ætate meretur,
Aspiciunt annos, cum medicina datur.

AD VRSVM.

Quid sibi dona uolunt? nũ me his inducere credis,
Vt te sincera prosequar Vrse fide?
Non me captabit pretiosis india gemmis
Plena, nec auriferi diues arena tagi.
Gemmea me probitas, me uinciet aurea uirtus,
His age muneribus, nysus et alter ero.

AD AVLVM.

In multis q̃uis tenear tibi, non tamen unq̃
Muneribus cessas nos onerare tuis,

Parce precor tandem donis,quin accipe censum
  In te animi,paruus sit licet Aule, mei.
Census erit,non pulcher equus,nõ picta pharetra,
  Non ebur,aut arabum thus,nec arena tagi.
Non lyra(non etenim cithara donatur apollo)
  Census erit,quantum non habet alter,amor.

AD ALEXANDRVM GVARINVM.

Quam modo misisti, uideatur epistola qualis
  Esse mihi,forsan scire Guarine cupis.
Vt totum,quæ sola datur,ratione nitorem
  Amplectar,similis stẽmatis illa tui est.
Semper enim cunctis interrecitando uoluptas
  Crescit,et augentur sensa canorq; lyræ.
Cũq; putant grauius nil posse aut dulcius addi,
  Iudicii faciunt posteriora reos.

AD PAVLVM.

Quos ego materno scripsi sermone libellos
  Vt mihi delatum est,Paule uidere cupis
In cœli proceres scriptum nunc mitto uolumen.
  Inq; dies domini,quisq; quot annus habet.
Quod simulac lectum fuerit,mittetur et illud
  Quod pia ieiunii tempore turba legit.
Lectio siqua nimis prolixa uidebitur esse,
  Parce,dei ubertim uerba ministrat amor.

TEMPORVM MISERIA.

Augustos ueteres, Mœcenatesq́, sub auras
Iupiter e tumulis quæso redire iube.
Vt tentare queam. Num quo mea munere digna
Musa sit, an tenui semper alenda noto.
Composuit noster complura poemata phœbus
Vt reor Aonio non abigenda iugo.
Et, nisi læthæo biberit de gurgite, nūq̄
Vel uerbo grates rettulit ipse domum.
Tot chiragras ætas hæc gignit, ut ignea uirtus
Algeat exiguum iugiter ante focum.

AD LECTOREM.

Venimus ad libri calcem, fortassis et æui
Vitalis, gemina est iam mihi danda rudis.
Tres et uiginti panxit mea musa libellos.
Præter in angelicas scriptum opus excubias.
Forsitan in tantis morsu dignissima chartis
Inueniet, siquis pendere cuncta uelit.
Si quãdoq́ tamen bonus obdormiũit Homerus,
Quis meã non æquo somnia corde feret?
Quisquis erit, sacri siquid ualet hostia uatis,
Vita sit huic fœlix, mors leuis, astra quies.

FINIS.

ERRORES QVOSDAM LECTOR SIC EMENDABIT.

In.I.Ad Eundem.eandem.6.
In.K.obstris agit.hostis.i. Vnde pater nomen dederit tibi cerui. cerue.3.
In . L. Gratus hero et dominę ? gratus hero et domi nę.3.
An pugnasse simul tersiten.thersiten.3.
Semper at imbreferis. imbriferis.4.
Ad Silibenum.Salibenum.4.
Eternus sit tibi.Aeternus.6.

Ioannes Maciochus Bondenus imprimebat Ferrariæ . IIII. Kl. Iunii .
Anno.MDXIIII.

REGISTRVM.

A.B.C.D.E.F.G.H.I.K.L.
Omnes sunt quaterniones,præter.H.qui est ternio et.E.et.L.qui sunt quinterniones.